



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

Liber V. De modis, ac mediis conservandi stabiliter regularis vitæ
communitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)



LIBER V.

De modis, ac mediis conservandi stabiliter Regularis vitæ communitatem.

NOta I. Liber hic opportunè, & necessariò subnectitur 4. Prioribus, ut vel sic satis fiat importunis quidem at frivolis excusationibus quorundam protestantium, & illusorie dicentium: Facile est multa dicere & scribere de observantia vitæ communis; sed verba non implent culinam, non faccum, non ventrem Monachi murmurantis &c. *Aequanimiores hos monet esse Ecclesia Catholica in Collecta Dominica 7. post Pentecosten: Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur &c. Cujus providentia suavitas cum omnia per congrua media ad suos fines à se præstitutos ordinet, dirigat, disponatque; etiam Religiosis personis (si complacere ita divine majestati, si sic jubebat, ut in communi vivant) de provisione mediolorum non deerit, ut & communitatem, & unitatem, ac utriusque fructum & finem, mercedem, æternam felicitatem assequi valeant. Sed dolendus defectus est, quòd, quandoquidem multa ex his mediis ab ipsorum dependeant libera electione, ipsi ea respiciant; hinc mirum non est, si in regulari communitate exacta vivere detrectent, difficultatem allegent,*

gent, impossibilitatem effingant. Contra illos canis
 & appellat D. Thomas in Hymno de ven. Sacra-
 mento: Sic nos tu visita, sicut te colimus. Quoniam
 autem Religiosorum aliqui, mediis à Deo ordinatis,
 sed postpositis & contemptis, suas humanas ad inven-
 tiones, vires, & industriolas præferre, & in illis plus
 considerare maluerunt; justè Deo ordinante, evenit, il-
 lis ad opprobrium, his ad honorem, quod Act. 5. 38.
 legitur: Si est ex hominibus consilium hoc, aut
 opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis
 dissolvere illud, ne fortè èt Deo repugnare videa-
 mini. h. i.

II. Scitur quidem, quòd primarius & Auctor, &
 Ampliator, & conservator Religiosarum communi-
 tatum, & regularis vitæ communitatis sit Deus ter
 Opt. Max. ut piè docet S. Bonav. q 19. circa Regu-
 lam S. Francisci, ubi inquit: Omne quod non ha-
 bet esse suum à se, deficiendo deficit in non esse,
 nisi sustentetur ab eo, qui dat ei esse: Sic & omnis
 Ordo, & omnis homo. Unde non solum Ordines
 Religiosorum, sed etiam aliorum, & universalis
 status multum deficit, quantùm ad communem sta-
 tum, ab eo, quod in principio fuit, cùm omnes fide-
 les erant perfecti & sancti in Ecclesia Dei, quales
 nunc rarò videmus: Act. 4. multitudinis creden-
 tium erat cor unum, & anima una. h. i. Attamen
 cùm Deus velit nos liberè cooperari mediis à se præ-
 fixis & ordinatis ad regularis communitatis con-
 servationem; pendent utique plura media ab huma-
 na libera cooperatione: De quibus præsens Liber
 ager, non tamen ex propria inventione, sed ex pie-
 tissimorum Doëtorum acceptabili suggestione.

III. Porro cum media servanda regularis communitatis, alia sint in entitate superexcellenter supernaturalia (qualia sunt divina sapientia, bonitas, ac providentia &c.) alia quoad modum supernaturalia, v. g. excitatio cordium benefactorum, ut talibus religiosi bene faciant &c. alia in supernaturalia, ac humana; ex iisque aliqua spiritalia, aliqua humana, alia in actibus humanis, alia in rebus externis consistentia; in presenti libro non agitur nisi de illis, quae vel mediatae vel immediate subsunt nostrae humanae libertati, industriae, cooperationi. Ex his iam plurima sunt tacta, & praemissa in precedentibus libris, si quis avidè attenderit: Reliqua, quantum adjuvante divina gratia licuerit, hic adnotabuntur, non in favorem bonorum aëconomorum, sed ad aliquale contentamentum murmuratorum, in super tamen etiam ad consolationem timoratorum pusillanimum. Qui, ut spero, non animum despondebunt, si audiant, si animo relevant, & ritè cordi sumant, se ex propria industria cooperari posse ad hanc sanctam communitatem. Utique sicut ex multis seorsim lapidibus non consurgit unum commune aedificium, nisi lapides sinant se poliri, quadrari, levigari; calcemque concipiant, eamque non dimittant, rimam rupturamque non admittant, imbrī ventoque resistent &c. Sic ex multarum concursu bonarum voluntatum bona & sancta communitas consurgit; quae dum calcem charitatis inter vivos lapides non dimittit, in vita religiosa laudabilitate coram Deo & hominibus semper proficit.

IV. Ut autem media solida & sapida avido letori

Etori (maximè confratribus meis consilio egentibus,
 quibus debitor sum, & cum essem liber, omnium me
 servum feci) seligere, & colligere valeam; merito
 de super lumen & auxilium humiliter & reveren-
 ter imploro verbis Seraphica Virginis, œconomæ ad-
 mirabilis S. Teresia, de castello Anima. mansione 7.
 c. i. Utinam Majestas divina (si quidem ei pla-
 cuerit) calamum meum dirigat. mihi que modum
 suggerat, adè tam multis illis, quæ hic dicenda
 sunt, saltem aliquid vobis exponendum. Instanter
 hoc Majestatem ejus rogavi; cum nôrit ipse non
 aliam meam intentionem & scopum esse, quàm,
 ut sanctum Nomen ejus magis laudetur & cele-
 bretur. Spero equidem, charissimi, illum, etsi non
 tam mei quàm vestri causâ hanc mihi gratiam
 concessurum; ut hac ratione noveritis, quantum
 vestra intersit &c. h. i. *Hujus Seraphica Virginis,*
virginumque Matris admirabilis fuit œconomia,
sed admirabiliora media, ei suggesta à divina suavi
providentia, in effectum deducta ab ipsius singulari
filiâli fiducia in divina misericordia, bonitate pa-
terna, ac providentia mirifica. De quibus in sequen-
tibus, dum tamen non agetur nisi de illis mediis, qua
humana libertati, necessitati subservire possunt, in
ejusque potestate aliquo modo sunt, proximè vel re-
motè, mediatè vel immediatè, electivè vel op-
tativè, elicitivè vel ordinativè,
vel dispositivè &c.

* * *

Ee 4

CA-

CAPUT I.

De primo medio communitatis servande, scil. debito cultu Supremi Numinis.

I. HOC medium meritò assero primum ac fundamentale ; de quo proinde meritò dico cum S. Apostolo 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Qui proinde sicut cum Patre & Spiritu S. primarius fuit primæ Sanctæ Communitatis inspirator, Auctor, ita in primario medio ad illam conservandam suggerendo dignatus est esse primus promulgator. Matth. 6. 31. *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes inquirunt; quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.* h. i. ubi, (ut ait D. Thom.) inhietur nimis anxia, inordinata, & immodica sollicitudo, conjuncta diffidentia; non autem fovetur otiosorū pigrity: sed erigitur nostra confidentia, in hoc fundamentali medio fundanda. Quod quicumque faciens, meritò dicere potest cum Apostolo: *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est, sapiens, verax, benignus, immo Pater vester est;* quò verbo hic utitur Christus ad animandum nostram fiduciam. Hinc & pro pane quotidiano impetrando docet suos orare in eodem capite 6. Matth. dirigendo orationem ad

ad Deum, ut *Pater* est, *Pater noster*, qui *es in caelis* &c. Quo titulo se Deum confidenter compellare posse gaudebat & gloriabatur S. P. N. *Franciscus*.

II. Credidit huic Patri caelesti S. *Ignatius Loyola*, qui frequenter dicere solebat: *habemus bonum Deum: utinam te homines noscerent!* Ante ipsum eidem Patri caelesti credidit, & confisus fuit S. P. N. *Franciscus*, dum dicere solebat *suam œconomiam consistere non nisi in duobus* (ut supra jam dictum) *scilicet in Sanctæ vitæ studio, ac spe de Deo firmissima.* Dum & hoc verbum dicere solitus erat unicuique singulatim, quotiescumque Fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat: *jaeta cogitatum tuum in Duo, & ipse te enutriet.* Pl. 54. 23. (S. *Bonav. c. 2. §. 6.*) Credidit eidem S. *Bonav.* supra citatus, cum quo & J. *Taulerus* Doctor illuminatus ex Ordine Prædicatorum, ferm. 2. post Pascha, in sensu ferè & verbis coincidentes in eandem sententiam: *ubi spiritalia pessum eunt, diu corporalia subsistere non valent.* Ergo hoc est spiritale aratrum Religiosorum omnium, scilicet *Opus Dei*; quod suis quàm maximè inculcat in Regula sua S. *Benedictus*, omnesque SS. Ordinum Fundatores. Hinc si, neglectò hoc aratrò, Religiosis suppetat temporalium subsidi-
orum abundantia, est signum manifestum non caelestis benedictionis, sed potius iræ, & maledictionis, ut ait *Thom. Staplet.* exemplificans à non inepto simili: Porcus, Bos, & anser dum impinguntur; dumque vituli lacti duarum vaccarum sugendo applicantur, indubiè macello

destinantur, morti transcribuntur. *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 16. 35. & Matth. 6. 5 *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* in vita hac momentanea, scil. mercedē corporalem & carnalem, quam solum quæserunt & dilexerunt, pro servitio sterili, ad oculum divinæ Majestati superficialiter exhibito. Sincera itaque Dei servitus præinunitur divinis benedictionibus ad sufficientiam. De quò Ribera in vita *S. Teresie* l. 2. c. 3. *S. Petrus de Alcantara* miris modis paupertatem *S. Teresie* deprædica vit, & magnam in proventibus dixit consistere confusionē, quinimò nihil illis opportunitatum ad vitam necessariorum de fore spondit, qui sibi sincerè & ex animo deservirent. Placuit hac illi responsio, atque adeo satisfacit, ut cum è corrogata collataque vivere stipe jam penitus animo resolveret, omnes jam mundi facultates & thesauros sibi possidere videretur h. i. Hæc quoque *S. Teresia.* (prout cit, Author l. 4. c. 19.) animæ suæ contentamentum in paupertate his verbis significat : *in iis, quæ ad paupertatem spectant, singularem mihi Dominus Deus videtur fecisse gratiam, cum ea etiam, quibus humanus carere usus non potest, habere non nisi ex elemosyna fidelium accepta velim; adeo ut eo in loco maximopere commorari desiderem, ubi non nisi mendicatâ & collectâ vivitur stipe.* h. i.

III. Medium hoc Fratres suos non solum verbo sed etiam exemplo docuit Mem. S. P. N. *Franciscus* Evangelicæ paupertatis amator mirificus: qui cum pro approbatione sui Ordinis, Formulæque vitæ & suorum compareret coram
sum-

summo Pontifice Innocentio III. (ut scribit S. Bonav. c. 3. vitæ ejus) jubetur ab eodem pro lumine desuper accipiendo , orationi instanter se dare, ut voluntatem Dei valeret plenius ac certius agnoscere. Omnipotentis autem Dei famulus totum se conferens ad orandum , precibus devotis obtinuit, & quod exterius ipse proferret, & quid interius Papa sentiret. Nam cum parabolam de divite Rege, cum muliere formosa & paupere contrahente gratanter , & de prole suscepta præsferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut à Deo acceperat, retulisset; ex illius interpretatione subjunxit: non est formidandum, quod fame pereant aeterni Regis Filii & heredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus S. virtutem de paupere matre nati & ipsi per Spiritum paupertatis sunt in Religione pauperula generandi. Si enim Rex caelorum imitatoribus suis regnum promittit aeternum; quanto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis & malis? h. i. Ex quo S. Francisci discursu non solum Pontifex summus summè ædificatus, sed etiam S. viri Fratres in Dei servitio constanti ac pio proposito , filialique in Deo confidentia sunt plurimum confirmati; prout sequitur.

IV. Nam dum paupertatis evangelica amator Franciscus, auctoritate papali fretus cum fiducia multa cum sociis conferret in via, qualiter Regulam, quam susceperant, sincerè servarent: qualiter in omni sanctitate & justitia coram Deo incederent, qualiter in se ipsis proficerent, & essent aliis in exemplum &c. cum jam lassari essent ex di-

tur-

turnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sanè cum omnis via deesset, quàm possent sibi de victu necessario providere, statim adfuit providentia Dei. Nam subito apparuit homo offerens panem in manu, quem pauperculus Christi dedit, subitoque disparuit, incognitus unde venerit aut quò iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes Fratres, supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis divine, quam cibo carnis propriae sunt resecti. Insuper divina consolatione repleti statuerunt firmiter, & irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediae aut tribulationis impulsu à sancta paupertatis resilire promisso. h. i.

V. Ex hoc tam fideli divinæ providentiæ præsidio, quæ præstò est omnibus regnum Dei primum quærentibus, illique fideliter servientibus, cordatè & fundatè infert cit. S. Bonav. c. 7. §. 12. Procul igitur à pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Christi adeo copiose sufficientiæ fuit, ut subvenientium sibi defectus tam mira virtute suppleret, quòd nec cibus, nec potus, nec domus deesset; cum pecunia, & artu, & nature facultas defecerat; multò magis illa merbitur, quæ usitato divinæ providentiæ ordine communiter conceduntur. h. i. Quantum ergo ad victualium suppeditationem, hoc primum fundamentum jaciendum, hic primus gradus, via propinquior, methodus securior; nam contra divinam providentiam nil prævalere potest humana industria, nec sine illa quidquam proficere. Proinde,

VI. Veri *S. Francisci* imitatores & Filii, sibi putent à Patre cælesti pauperum provifore primario dici, quod ab eodē in nocte *Francisco* familiariter interrogatoriè dictum fuit: *Francisce, quis potest melius facere tibi? Dominus, an servus? dives an pauper? cūm Franciscus respondisset, quod tam Dominus quàm dives facere melius potest, intulit statim: cur ergo relinquis pro servo Dominum, & pro paupere homine divitem Deum? h. i. (S. Bonav. c. i. §. 4. vitæ ejus) Prædicto summo Pontifici de alimentis, & vitæ subsidiis sciscitanti vir Dei *Franciscus* generosè & confidenter respondit: *Matrem quidem habemus pauperem, sed Patrem ditissimum.* h. i. Probatum est *S. Bernardi* proverbium: *Dei respectus, hominis profectus*, tam secundum corpus, quàm animam. *Wilst / daß dir dein Sach woll geling / Gott hab vor augen in allem Ding.**

CAPUT II.

De Singulari confidentia habenda in Dei providentia; provitæ subsidiis impetrandis.

I. **P**Lurima sunt, quæ nos excitant, monent, movent, inducunt, immò quasi impellunt ad spem nostram fiducialiter in Dei benigna & paterna providentia collocandum. Ad hoc enim primò nos excitat verbo suo conditor noster, pollicendo audientiam, addicendo suam assistentiam, devinciendo nobis suam omnipotentem

pro-

videntiam; ut de ea confidendo, in necessitatibus nostris tam corporalibus quàm spiritalibus, præfidium speremus, alleviamentum sentiamus. Hæc enim attingens à fine usque ad finem fortiter, ac disponens omnia suaviter (Sap. 6. 8.) jubet considerare corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & tamen Deus pascit eos, Luc. 12. quanto magis homines divinæ se providentiæ confidenter subjicientes, & contemperantes? Proinde, Matth. 6. ne solliciti sitis (anxiè) anime vestra, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Hanc divinæ providentiæ suavitatem in se & aliis expertum fuisse testatur S. Propheta Pl. 36. *junior fui, etenim senex: & non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem anxie, perplexè, miserè &c.* ideoque monet unumquemq; pl. 54. *jacula super Dnm curam tuam & ipse te enutriet: non dabit in aeternum fluctuationem justo.* Quam confidentiam in nobis plus acuit S. Petrus I. 5. *Omni sollicitudinem vestram projicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.* Super quæ citata S. Scripturæ verba.

II. SS. PP. considerantes benignam Dei providentiam, nostramque egentiam, & ex nobis ipsis insufficientiam, erigunt animos nostros ad virtuosè & fortiter confidendum de illa in omni necessitate nostra. Et quidem S. August. in pl. 61. *Pascet te, qui fecit te: qui pascit latronem, non pascet innocentem? si pascit damnandos, non pascet liberandos?* Idem serm. 6. de verbis Dom. *Om-*
nem

*nem curam vestram super Dominum mittite, prorsus vos ipsos totos projicite in illum. Idem c. 15. solil. Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes: ipse enim te ad te sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi proffit. etiamsi nescias. h. i. Idem de serm. Domini in monte: quarentibus regnum Dei, & justitiam ejus, non debet subesse sollicitudo, ne necessaria desint. Et ven. Beda in c. 6. Marci: tanta predicatorum debet esse fiducia, ut presentis vite sumptibus quamvis non provideant, tamen sibi hos non deesse certissime sciant; ne, dum occupatur mens ad temporalia, minus aliis provideant aeterna. Idem cit. S. August. l. de elem. confidentiam fervorum Dei animat his verbis: Tu Christiano, tu Dei servo tu bonis operibus dedito, tu Domino Deo charo aliquid putas defuturum? an putas, qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur? an putas, terrena deerunt, quibus caelestia & divina tribuuntur? unde hac incredula cogitatio? unde impia & sacrilega ista meditatio? quid facit in domo Dei perfidum pectus? quid, qui Christo omnino non credit, appellatur & dicitur Christianus? Pharisei sibi magis nomen congruit. h. i. Et author operis imperfecti: Deus est qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente; si ergo in te ipso quotidie Dei providentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? h. i. Insuper quod sine concursu hujus Dei providentiæ sit frustranea sollicitudo nostra, ut certum asserit Lucas Burgen-
 sis in c. 6. Matth, dum inquit: Si rem tantillam vestra sollicitudo non potest, scil. augere non nihil
 statu-*

staturam corporis; quomodo poterit corpus in vita servare, quantôvis annonæ opumque congestâ copiâ, nisi aspires providentia Dei? Proinde consultum est, ut, quod cælestis sponsus suasit S. Catharina Senensi, nos omnes audiamus, & opere impleamus, Cogita tu de me, quia ego cogitabo, & sollicitus ero pro te. Et hinc nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Hebr. 10. 36. Vitæ plurimorum Sanctorum plenæ sunt exemplis hujus piæ & fructuosæ confidentiæ; è quibus aliqua pauca pro erectione pusillanimum hic adducam.

III. *Deus, dum subinde finit, rem nostram ad extrema devenire, quasi compellit nos considerare in misericordia sua. De quo in vitis Patrum Erem. Cùm Abbas Fronto & 70. Religiosi in sterilissima solitudine Deo servientes, ingentes in spiritu facerent progressus; Deus fiduciam illorum experiri volens disposuit, ut panis & quævis alia sustentationis media iisdem deficerent. Monachi igitur, ad imitationem populi Hebræi, Abbati detrahere cœperunt, & contra illum murmurare, eò quòd illos è civitatibus eductos in vastam illam secûm conduxisset solitudinem, quia, ut psalmista ait, si non fuerint saturati, murmurabunt. Ps. Unde jam omnino ad redeundum in civitatem se resolverant, & quamvis S. Prælatus sapius eos ad sperandum in divina misericordia animare contenderet, in proposito deserendi locum persistebant; nam jejunus venter non audit verba libenter. Deus, igitur, ut illis, quàm sit liberalis & provida manus ejus erga illos, qui fideliter*

fideliter ipsi serviunt, ostenderet, Angelum quemdam ad virum divitem expedit, qui ei in somno constituto diceret; tu epularis in divitiis splendidè, & servi mei in eremo indigent pane: tu ciba illos &c. hic non surdus auditor 65. camelos variis rebus comestibilibus onustos destinavit: qui ad monasterium dicti S. Abbatis pervenientes, illum & Monachos ejus incredibili gaudio affecerunt, & de cetero firmiùs in divina providentia sperare monuerunt. *Lege fufius apud Mansi disc. 9. n. 2.* NB. Simile quid legitur in Chronicis Ordinis nostri; & in Annalibus Patrum Capucinatorum frequentissimè.

IV. *Sancti Religiosi per orationis instantiam, & confidentiam se dignos faciunt, qui ex Dei ærario pascantur.* De quo hoc Refert Exemplum Paulus Barry in anno Sancto pro die 26. Julii. S. Abbas Lupicinius, numerosæ familiæ trium monasteriorum alimentandæ præpositus, sollicitè spem omnem in Deo per orationem ferventem instanter posuit. Deus miseratus illius, & Monachorum devotorum, ei monstravit certum locum, ad quem singulis annis se contulit, sufficiente provisione pecuniarum se onerans, ex divino ærario accepta, quam dans dispensatori domus, suæ suorumque necessitatibus prospexit, à divina providentia cum suis mirabiliter & paternaliter sustentatus *Simile quid legitur de S. Hermannò Joseph Ordinis S. Norberti,* qui dum adhuc studiosus, devotus, at pauper esset; à B. V. M. quam tenerrimè colebat ei certus lapis ostensus, ut sub illo, necessitate pressus, pecuniam accipe-

ret, sibi que provideret; sub quo tamen alij studiosi nil invenire potuerunt, utpote tantâ gratia divina & Mariana indigni.

V. Drexelius l. 1. c. 8. § 4. mentionem facit *Roberti primi Molismensis Abbatis*, qui divina providentia studiosissimus cultor volebat, ut sui omnes à liberalissima Dei providentia toti penderent, velut infans à matris uberibus: & omnia, quæ in usus suos necessaria habebant, semper eidem divinæ providentiæ in acceptis referrent. Jejunium, aiebat, & fames docebunt nos Deo fidere. NB. Interim hæc confidentia non debet esse præfidentia, nec insolens tentatio Dei. Deus operarios adjuvat, pascit, & animat: nugaces, tepidasque muscas à sua providentia repellit. Dixerat Christus Dominus: *scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*. In quæ verba *S. Chrysof.* & *Euthymius* inquirunt: non dixit, *novit Deus*, sed *Pater vester*; ut eos profectò ad spem certiorem vocaret, & animaret, quò se filios ostenderent, paterna hac sollicitudine non indignos. *Sis Filius, & Deus erit Pater tuus*. Itaque

VI. *Religiosi, aliquæ spirituales viri maxime confidere debent in divina providentia*. Causam hujus dat *Clemens Alexandrinus* l. 6. *Stromatum*: Deus quidem ut Pastor, singulorum ovium curam gerit, eis verò maxime providendis gerit curam, qui aliis verbo & exemplo ad salutem multum prodesse possunt. Quod confirmans *Rupertus* in c. 10. *Matth.* ait: si totus ferè mundus esuriret, & pane indigeret; justum illum, in corde ejus domesticum (cujus in

ore

ore familiare est verbum Dei) non videbis derelictum: & hinc verum est, quod S. Scriptura dicit: *non interficiet Dnus animam iusti.* Philip. c. 4. hinc dicit Apostolus, *nihil solliciti sitis, sed in omni oratione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* In quæ tamen verba Lucas Burgensis inquit: sollicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deest; & hæc est commendabilis, opponitur enim negligentia: quandoque anxietatem animi cum defectu spei, & timorem de non obtinendo id, circa quod sollicitatur; & hanc prohibet. Christus confidentiam B. Birgitta fidelis famulæ excitabat his verbis l. 6. revelation. c. 107. *Ego sum nature conditor, Dominus & reformator: ego sum etiam in necessitatibus adiutor, & defensor, & distributor. Et qui omnia habeo, & nullius egeo, & omnium mentes inspicio, inspirabo cordibus diligentium me: ut benefaciant desiderantibus me: nam etiam non diligentes me admoneo, ut benefaciant amicis meis, quatenus bonorum orationibus meliores fiant.* h. i.

VII. *Plus confidendum in divina providentia, quam in pecunia, aut propria industria.* De quo ex vitis Patrum hoc pro documento audi exemplum. Quidam juvenis Monachus quærebat ex seniore, an non liceret sibi partem pecuniæ in futuros usus reservare? cui senior respondit: *hoc si feceris, scito, Deum nullam tui curam habiturum, ut qui tibi ipsi providere studueris.* Quo audito, Monachus statim pecuniam à se projecit, ut spem suam firmiter in Deo collocare

posset. *De S. V. Gertrude* hoc singulariter adnotandum ad imitationis exemplum. Ipsa quæcumque à Domino receperat bona, soli confidentiæ fultæ divina providentia attribuit, æstimans illa eò magis gratuita, quantò merè gratis atque citra ullum meritum hoc nobile confidentiæ donum à Deo gratiarum omnium largitore accepisset. NB. *Hac confidentia in Deo* ita animabatur, recreabatur, & interiùs tranquillabatur, ut, cùm die quadam in ascensu collium ad decliviora recideret, hilarior in spiritu facta diceret: *amabilissime JESU, quàm bene mihi evenisset, si hic casus mihi mortis occasio, & ad te perveniendi via fuisset!* Interrogata, an non ergo mallet ante mortem Sacramentis præmuniri; respondit, omnino quidem; iis tamen confidenter præfero divinam voluntatem, & providentiam. Hanc saluberrimam non ambigo ad mortem esse præparationem: propterea morte aut subita, aut diutina, prout illi placuerit, ad eum optatius est mihi venire. *O virtus Heroica! O confidentia admiranda! quæ tantò plus est meritoria, quò amplius sui ipsius resignatoria.*

VIII. *Christi promissio sit fundus vitalitius, seu nutritius Religiosorum pauperum.* De quo documentum & exemplum respice in Magno Magistro Hispanico, ac Zelatore animarum quæstuosissimo *Joanne Avila*, qui fuit coætaneus *S. Ignatio Loyola*, & *S. Philippo Nerio*. Qui paupertatem arctam amplectens, ut expeditior evangelio prædicando esset, sibi persuaserat nihil de futurum. Cumque plurimos annos eodem

vitæ

vita instituto transegisset, aiebat sibi optimum
semper fundum fuisse illam Christi Domini
pollicitationem: *querite primum regnum Dei,*
& *justitiam eius; & hæc omnia adjicientur vobis:*
neque mensam hanc unquam fefellisse. NB.

IX. Quò plures sunt Religiosi, Deo in claustrò
fideliter deservientes, eò non minor sed amplior Dei
benedictio etiam in temporalibus subsidiis suppe-
ditandis affulget & favet. De quo in vitis Pa-
trum hoc doctrinale exemplum. B. *Alferius*
quondam suo Monasterio hanc legem præscrip-
serat, scil. quòd numerus Religiosorum illius
loci duodenarium nequaquam transcendere pos-
set: hujusque legis hanc reddidit rationem, ne,
si numerum excederent, sustentari de rebus mo-
nasterii non possent. At verò vicinus morti
factus dictam legem retractavit, inquiens: ego
quod de numero constitui, secundum hominem
dixi: nam quòd mihi Dominus revelare digna-
tus est, in hoc monasterio innumerabilis multi-
tudo ad ejus servitium colligenda est; nam, *qui*
eos ad regnum suum congregat, temporales etiam
sumptus ministrabit. Hinc meritò *Hugo Car-*
din. verba illa Matth. 6. *respicite volatilia celi,*
interpretans ait: verisimiliter possunt hæc ex-
poni de Religiosis, qui nec serunt, neque me-
tunt, & nihil in terra quærunt, & ab omni mun-
dana solitudine semoti, cælestia quærunt. De
his igitur potius quàm de aliis Christus dicit:
Et Pater vester cælestis pascit illa: ipsi est cura
de vobis Dum S. Abbas *Antonius* apud S. *Pau-*
lum Eremitam hospitabatur, etiam annona dupli-

cabatur. Nec volebat Pater cælestis ut Paulo prandium imminueretur, qui Antonium miserat, ut ei commensalis in charitate jungeretur. Hospitalitas non minuit, sed auget annonam; panis augetur, dum Christi lex impletur; dum ejus manibus benedicitur, augmentatur. NB. In hoc singularis divinæ providentiæ fructu & gustu partem nacta *S. Francisci* Familia, per totum orbem terrarum diffusa gaudet se de paupertatis horreo à Patre & communi Provisore pauperum pasci, qui etiam, quamvis non essent, nisi duo panes in mundo, unum ex his promisit *S. Francisko*, & veris Filiis ejus ac imitatoribus. NB. Attamen præadducto exemplo hoc cautè adponendum est, quòd ita mandantibus Summorum Pontificum Decretis, non sint plures in conventibus recipiendi, quàm commodè vel ex communibus redditibus aut eleëmofynis ali possint; maximè si essent Ordini inutiles, otiosi, delicati, aut onerosi, pro solo numero solum augendo, sine vero Spiritu fervoris Deo serviendi.

X. *Dum Deus nonnunquam temporali inopia Religiosos affligi permittit, id fit ad virtutis ipsorum probationem, & meriti augmentum.* De quo *S. August.* de ferm. Dom. inquit: Cùm legamus, in fame & siti Apostolos laborasse, non existimemus hic Domini promissa titubare: Quandoquidem ista sunt adjutoria. Medicus iste, cui nos totos commisimus, novit, quando apponat, & quando detrahat, sicut judicat nobis

nobis expedire. Si enim nobis aliquando defuerint (quod plerumque propter nostram exercitationem Deus finit) non debilitat propositum nostrum, sed examinatum confirmat, h. i. Præterea electissimum Dei amicum fames coëgit fugere in Ægyptum, Gen. 12. Similiter & filios Jacob ex periculo pressuræ famis, annonam querere in distita terra Ægypti. Cum quo tamen manet, quod

XI. *Paupertas religiosa amata generet & nutriat specialem ad Deum confidentiam.* De qua *S. Laurent. Justin.* de lig. vot. c. 1. inquit, Paupertas amata nutrix est confidentiæ, orationis adiutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta, sine qua nemo coram Deo in Spiritu diu perdurare poterit, h. i.

XII. *Diffidentia causat miseram egestatem.* De quo *S. Bern.* de contemptu mundi ad clericos inquit: *Magis autem obsecro, relinques omnia, nihil sibi retineat, ne modicum fermentum totam massam corrumpat: & solum sequatur Christum, jactans cogitatum suum in eo, enutriendus ab eo, & centuplum sine dubio recepturus. Nemo ergo cum se viderit non omnia reliquisse, centuplum non accepisse miretur; pretiosa siquidem divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. -- Indignus caelesti benedictione convincitur, qui eam dubio querit affectu, duplici intentione, aliud sibi refugium parans, si non eam fortè ob-*

tinere contingat. h. i. Qui perfectiùs, & pluribus renuntiat, eum abundantius Deus sustentat. De quo Ven: Beda in Festo S. Benedicti sic inquit: qui enim terrenis affectibus sive possessionibus pro Christi discipulatu renuntiaverit, quò plus in eius amore profecerit, ei plures inveniet, qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeant sustentare substantiis. h. i.

Plenam hanc confidentiam in voluntaria egestate retinebat Sanctus Philippus Neriùs, qui dicere solebat: vellem, quòd ad tantam redigerer paupertatem, ut unico julio opus haberem, nec esset qui illum mihi daret: h. i.

De hac fiducia firmissimè in Deo ponenda, dicitur 10. p. Constit. Soc. Jesu: Quia Societas, quæ mediis humanis instituta non est, per ea nec conservari, nec augeri potest; sed per gratiam omnipotentis Dei ac Domini nostri JESU Christi: in eo solo spem constitui oportet quòd conservaturus sit & promoturus hoc opus, quòd ad obsequium & laudem suam & auxilium animarum inchoare dignatus est. Et iuxta spem hanc, primum medium & maxime consentaneum, orationum, & sacrificiorum erit &c. h. i.

* * * * *

* * * *

* *
* *

CAPUT III.

De cavenda nimia diffidentia, nimiaque solitudine, pro cura temporalium vite subsidiorum.

I. **H**anc diffidentiam à Religiosis omnibus exterminare cupit *S. Bonav.* dum inquit in ps. 118. *De Deo debemus confidere, quòd non derelinquet nos triplici ratione, utpote ratione divinae potentiae, ratione divinae sapientiae, & ratione divinae benevolentiae.* h. i. Et hoc est tri-membre fundamentum nostrae confidentiae in Deo collocandae, & diffidentiae praecavendae. Hoc fundamento nixa *S. V. Teresa* valde improbabat in monialibus suis, Conventus *S. Iosephi* (procul dubio & in aliis religiosis) si post paupertatis voluntariae electionem, & professionem nimis sollicitè & anxie studerent sibi aliorum voluntates lucrari pro Eleëmofynis conferendis.

II. Verba *S. Teresa* nimiam curam & diffidentiam dissuadentis sunt hæc l. de via perfect. c. 2. *Nolite putare charissime, aliquid rerum ad victum necessariarum vobis defuturum, si modò de mundanis hominibus complacendo sollicita non sitis: Equidem hoc vobis spondere & promittere aúsim. Nolite per humanam industriam & artes sustentationem corporis & victum vobis procurare; alioquin fame moriemini. & meritò quidem. Sed ad sponsum vestrum oculos attollite, ipse enim est, qui*
Es s victum

victum vobis dabit: si illi placeatis, vobis nolentes volentes de victu prospicient etiam illi, qui minus erga vos affecti sunt ac minus diligunt, uti hoc jam saepe per usum & experientiam & usu ipso vidistis. Si hoc facientes nihilominus fame vos mori contingat, na beata moniales S. Josephi eritis & dicemini. Et subdit.

II. Illi committenda rei hujus cura, qui omnia emovere potest, Domino, in qua reddituum, & redditus possidentium: illius iussu & ductu huc venimus: illius verba certa sunt ac vera, fallere non possunt, aut deficere; ante caelum & terra deficient. Curemus ipsa tantum, nec ubi ei desimus: & certa estote, illum nobis minime defuturum. Si autem interdum eu in vobis deesse videatis, hoc in majus commodum vestrum cedit, perinde ac Sanctis vita deficiebat, cum propter nomen Domini interficiebantur. h. i.

IV. Contentamentum suum in defectu necessariorum ostendit S. Terefia, dum inquit lc. Per experientiam didici, quantum inde boni nobis accedat: quando enim minus nobis suppetit, tunc minus sum sollicita: & novit Dominus, me (prout quidem mihi videtur) magis anxiam & sollicitam esse, cum res plus equo suppetunt, quam cum multa vobis desunt. Nescio, an id inde proveniat, quod Dominum tunc nobis id quamprimum subministrare observarim. -- Nolite, obsecro, mentem vestram hisce curis & anxietatibus distinere: & hoc a vobis per amorem Dei, velut in eleemosynam quam studiosissime contendo. --- Credite mihi charissima, Dominum aliquo modo in utilitatem & bonum vestrum

strum mihi ostendisse, quantum in S. paupertate bonorum sit. Est porro hoc tantum bonum, ut omnia bona mundi in se complectatur: ingens quoque dominatus est. Iterum dico, eum super omnia totius mundi bona dominium habere, qui hac ipsa negligit & contemnit. h. i.

V. Nimiam de rebus necessariis curam dissuadet S. Teresa religiosis, his verbis c. 30. vitæ suæ, dicens: *Tam pusillo & abjecto animo sumus, ut terram nobis defuturam credamus, mox ut corporis curam vel parum exuere, & spiritui nos dare volumus; statim quippe ad attentionem, & animi recollectionem habendam nobis conferre videtur, ut, quæ corpori necessaria sunt, sufficienter suppetant; eò quòd anxia nimis de rebus necessariis cura distractionem in oratione causent, orantemque inquietent. Piget me quòd tam parvam de Deo fiduciam, tantumque amoris proprii habeamus, ut hac etiam cura nos angat & inquietet. Et sanè cum spiritus tam parum, uti dico, proficit, nuxæ quædam & frivola non minus nos inquietant & vexant, quam alios magna & maximi momenti; atque interim nostro iudicio spirituales nobis esse videmur.* h. i. Ad instructionem & confusionem tepidorum religiosorum.

VI. Pro fideli quoque sua sponsa & famula Birgitta sollicitus fuit Christus etiam quoad temporalium subsidiorum sufficientiam, ut ita omnem ab ea excluderet diffidentiam. Verba illius ad eam l. 6. revelat. c. 107. sunt hæc: *Aquila videt ab alto, quis velit nocere pullis suis, & prevenit volatu, defendendo eos. Sic ego prævideo vobis salu-*
bri-

briora. -- Ego sum natura conditor, Dominus, & reformator. Ego sum etiam in necessitatibus adiutor, & defensor, & distributor. Sicut enim, qui habet equum sibi charum, non parcit prout suo etiam delectabili, ut ibi equus pascatur: sic ego, qui omnia habeo, & nullius egeo, & omnium mentes inspicio, inspirabo cordibus diligentium me, ut benefaciant desiderantibus me; nam etiam non diligentes me admoneo, ut benefaciant amicis meis, quatenus bonorum orationibus meliores fiant. h. i.

VII. Pro S. P. N. Francisco, ejusque filiis Deo fideliter servientibus singularem divina providentia semper curam gessit. Unde et hic Sanctus singulari prerogativa meruit à Deo benedici, ut Filius suis in talibus necessitatibus invocatus specialiter opitulari possit. De quo divinae providentiae & bonitatis aperto testimonio hæc accipe ex vita ejusdem, auctore S. Bonav. c. 4. §. 10. *Multiplicatis jam fratribus, cepit eos Pastor sollicitus Franciscus in loco S. Mariae de Portiuncula ad Generale Capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinae, in terra paupertatis eorum, unicuique tribueret obedientiae portionem. Ubi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando; Divina tamen opitulante clementia, & victus sufficientia suberat, & salus comitabatur corporea, & spiritualis jucunditas affluebat.* h. i. Renovavit ibi Christus Dominus antiqua miracula sua, quibus ex paucis panibus tot millia hominum pavit in deserto. Et, sicut habetur in Spec. vitae S. Francisci, & sociorum ejus; inhibue-
rat

rat hic sanctus Pater & œconomus admirandus, ne ullus quidquam alimentorum procuraret, aut appareret; Deus enim potentiam suam esset ostensurus. Admirabantur nonnulli, & angebantur, timentes, ne infelicē talis quasi tentatio Dei sortiretur exitū. At Pater & Sustentator pauperū ostendit adorandæ providentiæ suæ brachiū, commovendo corda hominū, qui undequaque necessaria vitæ subsidia in abundantia comportabant; ut desuper in non modicum stuporem raperentur S. *Dominicus*, & DD. Eminentiss. Cardinales, qui novitate talis Capituli acciti convenerant: De hac S. P. *Francisci* prærogativa scribit alibi S. *Bonav.* c. 7. vitæ §. 9. *Sicque factum est, ut concivium S. Francisci inopiam, quam pecunia relevare non poterant, Francisci pauperies opulenta suppleret.* & §. 12. *Per merita sui pauperis Christus multiplicavit cibos in mari - - item de eleemosyna modica sibi, procurante Deo, collata, nautas à famis & mortis periculo per dies plurimos liberavit: ut ex hoc liquido possit adverti, quod omnipotentis Dei famulus, sicut in eductione aquæ de petra conformis existit Moyse; sic in multiplicatione victualium Eliseo: procul igitur à pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. - - Merito igitur divinæ providentiæ Filius Franciscus, in omnibus quæ agebat, de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per orationis instantiam totum in Domino cogitatum jactabat. h. i. Et quoniam in petendis eleemosynis non questus agebatur cupidine, sed spiritus libertate; Pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur, h. i.*

CAPUT IV.

De speciali confidentia, reponenda in presidio B.V. Maria, pro impetrandis necessariis vitæ subsidiis.

I. EXPERIENTIÀ quætidianâ compertum est, quod illa Monasteria Religiosorum tam in temporalibus vitæ subsidiis, quàm in spiritualium charismatum adminiculis, honoris item ac optimi nominis titulis à Deo benedicantur singulariter, quæ singulari devotione tum in se, tum in aliis studiosè & filialiter collaborant cultui Mariano promovendo, & B. V. Mariæ Deiparæ specialis servitii pensum indies persolventes, sub ejus materno pallio quærunt temporale & spirituale presidium. Unde illa meritò dicenda *Altrix pauperum Religiosorum*, prout illam nominavit Angelus serm. 3. ad *S. Birgittam*, de excellentia Virginis his verbis: *Hic idem Deus per te, O Maria Altrix pauperum, pauperi humano generi, ad æternum vitæ trimentum providebatur. h. i.*

II. S. P. N. *Franciscus* quia *Matrem Domini nostri Jesu Christi* indicibili complectebatur amore, eò quòd *Dominum Majestatis fratrem nobis* effectur, & per eam *simus misericordiam consecuti*; ipsa post Christum precipuè fidens, eam sui ac suorum *Advocatam* constituit. (c. 5. vit. §. 2.) Hinc et in *Ecclesia Virginis Matris Dei* moram faciente servo ipsius *Francisco*; & apud eam, qua concepit

Ver-

Verbum plenum gratia & veritatis, continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur Advocata ipsius; meritis Matris misericordia concepit ac peperit spiritum evangelicæ veritatis, immo & apostolicæ paupertatis, & tam confidentialis pietatis. c. 3. §. I.

III. Causam hujus suæ teneræ ac filialis devotionis ad Sacratissimam Matrem Verbi Incarnati contestatur pauperis *S. Francisci* Religio in verbis Antiphonæ ad Magnificat Festi Immaculæ Conceptionis ejusdem, dum canit: *Oculi tui divini* &c. Oculos divinos, id est, oculos imitatores divinorum oculorum prædicat in ipsa, propter hanc similitudinis rationem; nam sicut Oculi Majestatis divinæ illuc maximè per favorem specialis gratiæ respiciunt, ubi major est necessitas; ita et oculi B. V. M. quæ sicut creditur ab Ecclesia esse Mater Auctoris, sic & ab eadem jure *Misericordix Mater* appellatur. *Hos divinos & misericordes oculos* nequaquam passa est esse otiosos in nuptiis Canæ Galilææ; quibus ut interesset, felici omine advocata fuit; nam & verecundiæ sponzorum & inopiæ materna pietate prospexit; & cujus inopiæ relevandæ causam Sponsi insinuare verecundabantur, ipsa materno oculo, pietatis verbo, misericordixque visceribus aspexit, detexit, sublevavit. *Et in pane* utique etiam subvenisset pia Misericordia, si ejus defectum conspexisset, utpote quæ Mater Panis Angelorum effecta in domo panis concepit, & pavit eum, à quo pascuntur omnia. *Ad cujus* sacratissimæ Nativitatis & Incarnationis Verbi humanati quia singularem devo-

tio-

tionem habuit *B. Franciscus à puero Jesu* Discalce-
 utique ab eo & Sacratissima Matre ejus potuit fa-
 cilè subsidia quæcumque temporalia pro paupe-
 rum sublevatione impetrare; prout legitur in vi-
 ta ejus. *Vade, & tu fac similiter.*

IV. Plena sunt Chronica variarum Religio-
 num, Annales, Historiæ Monasteriorum; qualiter
 B. V. M. in temporalibus necessitatibus suis clien-
 tibus ut fidelissima subventrix ac auxiliatrix ad-
 miniculo fuerit. Vocatur hinc meritò à *S. Bonav.*
 in Litanis specialibus ad ipsam, *Mammilla par-
 vulorum & orphanorum, caelestis que curia pincerna.*
 Idem de ipsa in cantico: *Quemadmodum infans
 sine nutrice non potest vivere; ita nec sine Domina
 nostra potes habere salutem. Sitiat ergo animatus
 ad ipsam, tene eam, nec dimitte, donec benedixerit
 tibi.* h. i. Idem ad singularem ejus cultum horra-
 tur Religiosos omnes in psalterio Mariano Ps. 17.
*Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est advo-
 catrix, & vestra specialis Advocata, & totius Reli-
 gionis mirabile firmamentum.* Et ps. 36. *Sperate in
 illa Religiosi & claustrales: confidite in illa Clerici
 & seculares: melius est modicum cum gratia illius,
 quàm thesauri argentei, & lapides pretiosi.* h. i. Illam
 meritò aliqui invocant sub hoc confidentiæ titu-
 lo: *S. Maria de fidei providentia;* de qua Festum
 celebratur 18. Jan. 7. *Nadasus* in anno caelesti.
 Hanc confidentiam ad Matrem suam suavit.
S. Francisca viduæ Romanæ Christus dicens:
Aspice Matrem meam, & ne de te sis sollicita.

Porro ad honorem Sanctissimi Nominis MA-
 RIA hos psalmos accipe ex prædicto psalterio

Mariano S. Bonaventuræ, confidentia filiali plen-
nos, & ad honorem ejus in necessitate tam corpo-
rali, quam spiritali recitandos, maximè à Religio-
sis, pro conservatione vitæ communis regularis,
quæ subsistit ac fulcitur & spiritali, & corporali
piæ Matris subventionem in affectu & effectu ma-
ternali.

M A R I A

Mater, & Nutrix Religio-
forum.

Magna multitudo dulcedinis tuæ Domi-
na, quam præparasti diligentibus & spe-
rantibus in te. Esto refugium paupe-
rum in tribulatione: quia tu es baculus pauperum
& miserorum. Inveniant, quæso, gratiam apud
Deum, qui te in suis necessitatibus invocabunt,
Psalms. 132.

Multa & mirabilia sunt dona tua Domina: in-
comparabilia sunt munera gratiarum tua-
rum. *ps. 39. B.V. Maria, Deus operibus manuum
tuarum benedixit, Ps. 1. In pulchritudine pacis,
& requie opulenta cibabis nos post laborem
peregrinationis nostræ ps. 9. Oculi tui in paupe-
rem respiciunt: & manus tuæ ad pupillum & vi-
duam sunt extentæ. psal. 10.*

Miserere mei Domina, miserere mei: quia tu es
lux, & spes omnium confidentium in te. *ps. 46.*

Gyrum terræ sola circuis, ut subuenias invocantibus te. *psal. 15.* Beata Maria intelligis super egenum & pauperem, in tuis laudibus permanentem. *psal. 40.* Tu es genitrix vitæ meæ, & Altrix reparatoris carnis meæ. *psal. 41.* Tu es Lactatrix Salvatoris animæ meæ, initium & finis totius salutis meæ. *ibid.*

Miserere mei Domina, & ora pro nobis: in lætiam bonam converte mœstítiam nostram. *psal. 66.* Pauperes servos tuos, Domina, felici confœderatione conjunge Christo. *psal. 48.* Esuriem parvulorum tuorum fructu ventris tui refice & sustenta. *ibid.* Effunde gratiam tuam super me: & solitam clementiã tuam ne subtrahas à me. *ps. 39.*

Major est charitas tua cunctis divitiis: & gratia tua super aurum, & lapidem pretiosum. *psal. 107.* Miserere mei fulgentissima Regina cæli: & præsta consolationem de gratia tua. *psal. 105.* Misericordia tua super omnem carnem: & eleëmofyna tua usque ad extremum terræ. *Psal. 112. Gloria Patri, & Filio &c.*

Adjutorium nostrum in virtute sit Nominis tui, O Maria: per te omnia opera nostra dirigantur. *psalm. 122.* Exulta anima mea, & lætare in illa: quia multa sunt laudatoribus ejus bona præparata. *psalm. 43.* Beneficiis tuis plenus est mundus: superant cœlestia, penetrant èt inferna. *psal. 45.*

A Sæculis æternis non deficiet clementia tua: & misericordia tua in generatione & generationem. *psal. 104.* Ego in solitudine exspecto consolationem tuam: & in cubili meo attendo miseri-

cordiam tuam. *psal. 54.* Tu es Mater pulchræ dilectionis, & anchora spei: portus indulgentiæ, & janua salutis. *Psal. 56.*

A Dillam currite cum devotione sancta: & de bonis suis participabit vobis. *psal. 80.* Gratias Deo & tibi, Mater pia, de omnibus quæ affecutus sum de pietate & misericordia tua. *psal. 76.* Gratia tua relevat pauperem in adversitate: & invocatio tui Nominis immittit ei confidentiam bonam. *Pf. 86.*

A Nimiam imbecillum sustentat eloquium tuum: & labia tua esurientem animam refocillant. *psal. 106.* Propera ad visitandum servos tuos: sub tegumento manus tuæ illæsi conserventur. *ps. 108.* Disperge gratiam tuam pauperibus tuis: esurientes refove & egenos. *psal. 111.* Sustine devotos ante tribunal Christi: suscipe causam eorum in manibus tuis. *psal. 113.*

A D te levavi oculos meos, Mater Christi: per quam venit solatium omni carni. *psal. 120.* Esto virgo defensatrix nostra: & ante Deum Advocata propitia. *psal. 123.* Benedic Domina te benedicentes: & ne avertas ab eis gratiosum vultum tuum. *psal. 126.* Da nobis in Nomine tuo fiduciam: & confundantur adversarii nostri. *psal. 131.* *Gloria Patri &c.*

R Ecordare Domina, & loquere pro nobis bona: non dimittimus te, donec mereamur à te benedici. *psal. 14.* Respice paupertatem meam gloriosa Virgo: miseriam & angustiam meam ne tardes remove. *psal. 65.* Recordare Domina pau-

perum & miserorum : & sustenta eos ope refrigerii sancti tui. *psal. 97.* Per virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam : & per admirabilem partum tuum lætifica animam meam. *Psal. 101.*

R Espice voluntatem cordis mei : & affectionem meam fac tibi beneplacentem. *psalm 108.* Da nobis in Nōmine tuo fiduciam : & confundantur advertarii nostri. *Psal. 131.* Consolare nos in terra peregrinationis nostræ : & releva paupertatem nostram. *psal. 131.* Bona naturalia conserva in nobis : & bona gratiæ per te multiplicentur. *Psal. 135.*

R Ecreet nos tuæ pacis dulcedo; & serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ. *psal. 138.* Clamemus humiles ad puerperam Virginem : offeramus ei planctus & suspiria nostra. Non invenitur propitiatio sine illa : nec salus sine fructu illius. *psal. 136.* Oculi nostri sperant in te Domina : mitte nobis cibum & escam delectantem. *Psal. 143.*

R Efice viscera nostra de sempiternis deliciis : eleva de terrenis affectionem nostram. *psal. 143.* Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris : & de gaudiis paradisi velis nos recreare. *psal. ibid.* Levemus corda nostra cum manibus ad illam; & suam influentiam sentiamus. *Psal. 147.*

R Ecordare pia paupertatis nostræ: O benedicta, in manibus tuis reposita est nostra salus. *Cant.* Tu vena misericordiæ : tu Sponsa, & Mater Regis æterni. Tu mediatrix Dei & hominum, ama-
trix

trix mortalium, caelestium illuminatrix.
Idem in Hymno. Ecce Domina Salvatrix mea:
 fiducialiter agam in te, & non timebo. *Idem in*
Cant. Gloria Patri, &c.

Intercede pro nobis salutifera *Maria* Mater
 Dei, quae Angelorum & hominum salutem
 peperisti. *psal. 59.* Tu es solatium nostrum, in
 laboribus subventio optima. *psal. 32.* Interce-
 de pro me Domina apud Christum tuum; neque
 derelinquas me in morte, neque in vita. *psal. 83.* Tu
 es mater illuminationis cordis mei: tu es nutrix,
 refove mentem meam. *psal. 40.* Tutitioni tuae se
 commendat tota substantia mea. *ibid.*

Impetra nobis Domina amicitiam Jesu Chri-
 sti: & custodi nos, ne perdamus innocentiam
 nostram. *psalm. 135.* Tu es pax beata cordium
 atque salus. *psal. 46.* Benedictum sit cortuum
 Domina, quo ardentem & sinceriter Filium Dei
 dilexisti. *psal. 65.* Omnis salus de corde tuo scatu-
 rizat. *psal. 79.* Justitiae regula in corde tuo.
psal. 94.

In te qui habent spem & confidentiam, beati: &
 beati, qui per te suscipient felicitatem aeternam.
psal. 108. Tu es via veniendi ad Christum: Beatus
 qui appropinquaverit ad te. *psal. 117.* Qui fugerit
 te, non inveniet viam pacis. *ibid.* Domina mea
 laudem meam ne despexeris; & hoc meum obse-
 quium digneris acceptare. *psal. 108.*

In te dulcis *MARIA* speramus: nos defendas in
 aeternum. *Idem in Hymn.* Illumina tenebras se-
 dentium in umbra mortis: & eas luce dilectissimi
 Filii tui digneris illustrare. *Idem in Cant.* Operuit
 aelos gloria tua: & misericordia tua plena est ter-

ra. *Idem.* Cūm exierit spiritus meus Domina, sit tibi commendatus : & in terra ignota præsta illi ducatum *Psal. 145.*

Illumina vias, & semitas nostras : ut noscamus, quæ beneplacita sunt Deo. *psalm. 135.* In quacunque die innocavero te, exaudi me : & multiplica virtutem in anima mea. *psalm. 137.* Da nobis panem lacrymarum Virgo Sancta, & dolorem peccatorum in terra incolatus nostri, *ps. 131.* Redde nobis propitium benedictum fructum ventris tui; ut Spiritus sancti gratia repleamur. *ibid.*
Gloria Patri &c.

Auxilium tuum, & gratiam tuam nobis impende, in omni tribulatione nostra. *psal. 120.* O Domina charissima mea, velut gallina rege me mirabili possessione tua. Tuus totus ego sum; & omnia mea tua sunt, Virgo super omnia benedicta. Pone te ut signaculum super cor meum; quia fortis ut mors dilectio tua. *Idem in Cant.*

AB omni perturbatione libera servos tuos: & fac eos vivere sub pace & protectione tua. *psal. 137.* Pater & mater mea dereliquerunt me: Maria autem assumpsit me. *Idem in cant.* Quid pro tuis beneficiis retribuam nisi me totum? Domina suscipe me. Vernaculus tuus sum ego: minimus in familia tua. *psal. 115.*

AD te levavi oculos meos Regina, quæ regnas in cælis. *ps. 122.* Angelorum, & hominum te laudat omnis lingua: & ante te omnia genua curvantur. *psalm. 120.* Adjuva me, & salvus ero, Domina inundi : fac me semper stare in timore tuo. *psal. 118.* Tu enim salus mea in Domino; quæ me morti adjudicatum liberaisti. *ibid.*

AD Dominum accede, rogatura pro nobis; ut per te nostra peccata deleantur. *ps. 119.* Quibus auxiliata fueris Domina, erit refrigerium pacis: & a quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem. *ps. 99.* Compatere animæ meæ, & dirige illam: De benedictione fructus ventris tui da mihi sustentationem. *psal. 115.*

AVe gratia plena, Dominus tecum. Per te salus mundi reparatur. *ps. 49.* O Domina mea adjuvame: gratiam tuam largire animæ meæ. *psal. 53.* Innova signa, & immuta mirabilia: sentiamus adiutorium brachii tui. *psal. 55.* Lætifica nos dulcifluisono oris tui: & liquore tuo roseo perfunde corda nostra. *ps. 55.* Protegat me semper gratia tua: præsentia tua illustret finem meum. *psal. 66.* *Gloria Patri &c.*

NB. *MARIA est desertum speciosum, est lignum fructuosum, de quo dicitur Joel. 2. Et lignum attulit fructum suum. Nolite ergo timere animalia Dei, nolite timere fideles Christi, quod inedia deficiatis; cum plena pascua in deserto, plenum fructum in ligno, plenum etiam pabulum in præsepio habeatis. S. Bonavent. in Speculo B. M. V. Hæc ad S. Petrum Nolascum ajebat: Fili mi, ne dubites de paupertate; quia te non deseram; studeas, ac servias Filio meo, ac mihi.*



ORATIO,

Ad B. V. Mariam Ordinis nostri protectricem, pro conservatione eiusdem, extracta ex medulla vitæ S. Bernardi.

O Amabilissima Virgo, Congregationum fidelium, ac præcipuè religiosarum Mater ac Protectrix, quæ sub tua protectione militant, ac favore tuo regularem disciplinam observant: memor esto hujus minimæ Congregationis tuæ, quam possedisti ab initio; eam promove, & in posterum conserva, nosque ut clientes tuos respice: paupertate, castitate, obedientia, humilitate, & Spiritû orationis conspicuos efficias, & ab omni malo præsertim relaxationis defendere digneris, Amen. *Nos cum Prole pia bene Æ dic sacra Virgo Maria.*

Ad pariendum teneriorem in nobis confidentiam ad ipsam adhortatur S. Bonav. Memoriali 13. his verbis. *Gloriosam Reginam Domini nostri Matrem benedictam in summo habeas omni tempore venerationis affectu; & in cunctis ad eam necessitatibus, periculis, & pressuris, tamquam ad refugium tutissimum te convertas, ipsius tutela præsidium flagitando; eamque intutam suscipiens Advocatam, devotissime ac secure tuam ei causam committas, quia Mater est misericordie. h. i.*

VII. Cultui Mariano meritò addunt devoti Religiosi cultum, seu devotionem specialem ac confidentiam ad *Sanctissimum Sponsum ejus Josephum*. Mirum est, quàm eximiam simul & efficacem ad hunc *electissimum Christi Nutritium Seraphica Virgo Teresia* habuerit devotionem! ille fuit Procurator ejus, provisor, defensor, Architectus, Dispensator, conservator, Nutritius, Advocatus, immo Pater: Pecuniam pro fabrica conventuum ille procuravit, annonam apportavit, animos adversantium *S. Teresia* pacavit, conciliavit, Monasteria ordinavit, intrus & extra protexit: proinde hujus *Sancti Patris sui Josephi* effigiem vel statuam ubique januis affigi, aut super Postes columnarum collocari jussit; & singulariter illum præ omnibus Sanctis, post B. V. M. honorari suasit & jussit. Et sicut ipsa Beatissimæ V. *MARIÆ* Claves sui regiminis monasterii reverenter obtulit, credidit & resignavit; sic & huic Sanctissimo Sponso ejus externam & internam domus gubernationem, tutelam, ac paternam defensionem commisit, eventu sane felicissimò, utpote in spiritualibus & temporalibus per ipsius præsidium amplius benedicta. Eam meritò in hac tenera & filiali devotione sequuntur omnes Religiosi. Fidelis est hic Pater-Familias, cui Redemptor noster nutriendam credidit carnem suam, ejusque fidei conjugali conservandam commisit Matrem suam Benedictam super omnes creaturas.

VIII. Religiosi tenentur insuper specialem ad suarum Religionum Fundatores ac Com-
 tro-

tronos habere devotionis confidentiam, pro Religionis conservatione tam per corporale subsidium, quàm spiritale præsidium. Indubiè enim ipsi Religionum suarum sunt à Deo constituti Patroni, Tutores, & Advocati, ut specialem gratiam conservandi religiosi status, Sinceris Regulæ observatoribus, ac vitæ suæ sequacibus impetrent. Huic devotioni in nostra Religione Scraphica, confidentia pleni subjungimus singularem devotionem quotidianam ad Thaumaturgum Sanctum, Ordinis nostri Decus, & Gloriam, *D. Antonium de Padua*: ad quem Sanctum devotio specialis, in nobismetipsis & in aliis aucta & promota, nostrum est optimum aratrum, securissimus census, pensio cælestis. Hic Sanctus quia, Deo volente & deputante est provisor Generalis omnium aliorum sive Religiosorum sive sæcularium, eum specialiter invocantium, & colentium; quantò magis erit Fratrum suorum, eum in vitæ regularitate devotè imitantium, quorum est *Compar inclytus*, ut canitur in Missa ejus. Narratum habeo ab aliquo Religioso Provinciae illius, in qua olim habitavit *S. Antonius de Padua*, in Civitate, quæ vocatur *Podium*, quòd, durante ibidem convocato Capitulo, cùm esset penuria in victualibus, ille in primis benedixit puteum, & ita ut ex illo coquus quidem aquam pro necessitate sua, at Pincerna vinum hauserit, quò usque duravit Capitulum, & de aliis victualibus ipse quoque ad religiosam sufficientiam ibi providit. Usque huc non est abbreviata *manus Dei*, nec *S. Antonii*. *Confidentia urna ex puteo divi-*

divinarum miserationum extrahere potest omne bonum. Libri, & fidelium experientia, communisque omnium sensus & opinio attestantur & approbant, hunc Sanctum quasi alterum Joseph provisorem Ægypti, esse in Ecclesia Dei. NB. Plurimum ædificatus fui ante aliquot annos, dum S. Theolog. Lectorem agerem Augustæ Trevirorum, & vocarer ad infirmam pauperem, S. Antonio Paduano apprimè devotam mulierculam: in cujus tuguriolo dum conspicarer, quòd carthaceam S. Antonii Pad. imaginem, quam ei petenti antehac dederam, pennarii promptuarii januæ affixisset, interrogavi, quænam hæc esset devotio, quæ intentio; cur non inter alias Sanctas imagines in suo Altariolo collocasset? respondit mihi devota anima: *datâ operâ id feci; elegi enim S. Antonium Pad. in panis Provisorem, ut si huius in promptuario fuerit defectus, ipse se ipsum moneat, mihi que paternè provideat, Et nomen suum bonum apud me non amittat.* En! quàm sincera devotio, quàm pia intentio, quàm firma confidentia in hac simplici anima! Non poterat S. Antonius tam firmæ confidentiæ se negare; quæ eum sollicitabat immo quasi necessitabat Panem procurare.



CAPUT V.

*De mutua inter Religiosos concordia, qua
est apprimè necessarium medium ad
Regularis vitæ exactam com-
munitatem.*

I. **T**Ritum illud ex Sallustio adagium; *concordiâ parvæ res crescunt; discordiâ maxime res dilabuntur*; Die Einigkeit Kleins Gut vermehrt: Uneinigkeit groß Gut verzehret. citat & æstimat S. Bonaventura, adhortando suos Religiosos ad mutuam concordiam. Sine hac impossibile est, vivere in perfecta communitate; nam ex defectu illius oriuntur privata peculia; & ex his amplius dissipatur concordia, ita ut discordia, & peculia sint sibi quasi ad invicem causa. Ex opposito, concordia fovet communitatem, & communitas parit & conciliat concordiam; per quam membra inter se cohærent, & ab invicem juvantur, ac corroborantur; sicut in simili hoc ipsum aptè exponit Discipulus serm. 56. *Sicut in civitate, inquit, unus murus aut turris corroboratur ex alio; sic in corpore congregationis unus per alium in bono solidatur, adjuvatur, sublevatur &c.* De hac S. Rupertus in 6. cant. inquit, quòd per eam congregatio uniat, ac fortis ad victoriam reddatur, & ad multa bona corporis & animæ disponatur, sicut castrorum ordinata acies constipata & densata, nullibi per
discor-

discordiam, aut disjunctionem animarum interrupta. Ad hanc respicit facies hujus sti libri in impressa icone, cujus figuræ additum : *hos idem junxit amor.* Qui si nos non jungat, sanè & apertè hostis exercitum dissipat : *regnum autem in se ipso divisum desolabitur,* (juxta verbum Christi) & quò ad spiritualia, & quò ad temporalia; veluti si quisque de ingenti Cumulo ignitorum carbonum sumat unicum, singulos à singulis sejungendo, in omnibus ignem dispositivè extinguit. *Vis unita fortior.* Patet in Monasteriis, in quibus Religiosi ex privatis peculiis miserè & sordidè vixerunt, at in communi conferentes cum religiosa sufficientia & proximorum ædificatione vivere commodiùs & uberiùs potuerunt, propter manifestam Dei benedictionem inibi abundantius relucentem & cooperantem.

II. Ad hanc concordiam requiritur, ut subditi cum Superiore idem velint, nolint, intendant, optent, ament oderint, respuant, eligant, quærant; eandem Regulam sequantur, idem Refectorium frequentent, eandem mensam habeant; non plus præ altero habere appetant, exemptiones præ aliis non quærant (ceteris paribus) Hæc pacifica concordia si juxta monitum Apostoli, Philip. 4. 7. *custodiat corda & intelligentias vestras in Christo JESU: quis est, qui vobis nocere possit, si boni amulatores fueritis? 1. Petr. 3. Igitur acquiesce ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos* (Job 22. 21.) tam corporales quàm spiritales, De quibus intelligendus Isai. 32. 19.

sede-

sedebit populus meus in multitudine pacis (seu concordia) in tabernaculis fiducia, & requie opulenta. Hæc concordia utique generat fiduciam, & bifariam opulentiam. Ad illam instanter & frequenter adhortatur Apostolus. Hebr. 12. 14. *pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum,* nec habebit profectum. Jerem. 29. 7. *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci (id est, statum vestrae Religionis) & orate pro ea ad Deum; quia in pace illius erit pax vobis.* Id est, si in toto monasterio ad invicem fuerit inter singulos pacis concordia, unusquisque bene pacatus & contentus erit. Itaque *quæ pacis sunt, sectemur, & quæ adificationis sunt, in invicem custodiamus.* Rom. 14. 19. Ad quod id ipsum ferventer & vehementer adhortatur idem Apostolus 1. cor. c. 10. *Obsecro vos Fratres per nomen Domini nostri JESU Christi, ut id ipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia,* De hac S. Petrus. 1. 4. 8. *ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Nam in tribus placitum est Spiritui meo, *quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi bene consentientes.* Eccl. 25. 1. Sicut ergo ad oculum patet, impossibile esse, posse ibi bonam œconomiam vigere, ubi vir & mulier dissentiant ab invicem, ita pariter in Monasterio, in quo vir est Superior, Communitas autem ei credita est sponsa ejus. Ergo meritò dicit psalmista ps. 132. *Ecce, quàm bonum, & quàm iu-*

cundum, habitare fratres in unum! Est bonum & jucundum etiam temporali & corporali fructu. De quo S. Hieron. verè bonum, verè jucundum: unum fratrem dimisimus, & ecce quantos recipimus? qui pro nobis æquè ac pro se orant, laborant, curant, satagunt, conquirunt. &c.

Pro communitate omnes laborent; ut faciunt canoræ & variegatæ aves, quæ non sibi privatim annonam congerunt, sed communi mensæ. Homo per peccatum infectus avidè quærit peculiarioria, cum tamen ante peccatum fuerint omnia communia. Communia bona nullus faciat sibi peculiarioria, imitando in hoc exemplum Salvatoris, qui Matth. 17. non ex communi penu, sed ex ore piscis didrachma pro sua persona solvit; ut ostenderet (ait S. Hieron.) se privatis usibus insumere noluisse, quod communi bono deputatum erat. Propter hanc peculiarioritatis arrogationem Petrus corripitur à Christo, in monte Thabor, Marci 9. dum diceret, faciamus hic tria tabernacula. Nam (ut ait D. Bern.) Petrus visâ Dei Majestate, commune bonum in privato suo visus est conclusisse: & quo omnes frui debebant, ipse solus frui volebat; contra illud: charitas non quærit, quæ sua sunt. Hinc verissimè dixit in sua Epist. Pastoralis R. P. N. Generalis Jacobus de Bagna cavallo: nil illa questio solita valet: quare non vivitur vitâ communi? quia nulla viget charitas. Quia ego aliam subnecto questionem, dicens: quare non viget charitas! R. quia non vivitur vitâ communi: & tepida illa vocabula meum & tuum dominantur, quæ ut gladii acutissimi

mi Religiosorum corda transfigunt. Quando religiosus secum statuerit bono publico intendere, vitam communem vivere, linguendo proprium, & maledictam sanguisugam, qua dicitur affer, affer, floreret hac nostra Religio omnibus bonis. h. i.

III. In hac unitatis concordia maximè sibi complacebat S. Franciscus Xaverius l. 2. epist. dicens. quid aliud est Societas JESU, quàm Societas amoris & concordie? Hanc autem qualificat S. Bern. serm. 28. cant. dicens: volo autem, ut in ea (unitatis concordia) sic maneas, non quasi unus ex omnibus sed quasi cum omnibus unus: late expande sinum, & ex omni genere piarum affectionum claude inter viscera tua, ut omnibus omnia fias, & congaudere paratus, & compati; gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, ut amorem & unionem cum omnibus habeas. h. i. Lucrosam rem esse hanc unitatis, & dilectionis concordiam, aiebat ex Soc. JESU Petrus Faber, experienciâ & scripturâ constare, quò quis in proximos sublevandos, adjuvandos, supportandos benignior fuerit, eò largiorem ei occurrere solitam misericordiam Dei etiam ultro sine precibus. Proinde hoc gloriosissimæ signum conscientie esse aiebat S. Bonav. proximum adjuvare, supportare, sublevare. *Stemus simul*, aiebant ad invicem S. P. Franciscus, & S. Dominicus; & in omnibus adjuvabit nos Deus.

IV. Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, Prov. 10. Immo quasi fasciculus sagittarum, quæ disjunctæ facilè franguntur, at unitæ minimè. Piscatores illi piscibus opulenti facti

facti sunt, qui alios de navi vocantes (Luc. 5.) concorditer cum illis traxerunt rete plenum magnis piscibus: ita & religiosi. Si multi canes singuli singulos seorsum lepores insequantur, frequenter irrito eventu, nullum capiunt; at certiori, si plures canes leporem eundem. Ita & lucrum à singulis divisim quaesitum est incertum; at probatum & ratum bonum, quod à multis communiter, ex communi sensu, pro communi bono quaeritur, plus à Deo benedicatur, & plus proficit ad salutem animæ & corporis, capientibus. *Funiculus triplex difficilè rumpitur Eccli. 4.* unitas dat firmitatem, conjunctio dat participationem, ut quisque ex alterius additione plus habeat, quàm ex privata habitione. E contra multitudo inordinata confusio est, dispersio est, ruptio est, perditio est. Cape exemplum, aut simile. Tytheus lapis, quamvis grandis sit, innatat tamen undis, comminutus verò mox subsidit. Sic Religiosi concordia sustententur, & sublevantur, qui discordia pessum eunt & submerguntur.

V. *Concordia* hæc ut infructuosa non maneat, supportet, necesse est, alios: *sicut in edificio* (ait S. Gregor.) *lapis lapidem portat; & si onus detrederet, omnia corruerent.* Dum autem ita invicem portant, seipsos, & murum, & totum ædificium conservant. Sic &c. Huc facit aptissima similitudo à S. August. adducta serm. 23. de Apost. cervi, inquit, cum insulas tranant, ita sibi mutuò onera, & capita sustentant per concordem alternationem & sublevationem, ut primus, quando

H h

fatiga-

fatigatus est, post omnes recedat, & ipse pariter supra penultimi tergum caput cum pondere cornuum reclinet, & ita vicissim, donec omnes feliciter tranando ad virentia pascua veniant. Imitentur Religiosi, ut sufficientia pascua inveniant. Et si hoc cervi, quid non facient Religiosi? maxime cum, teste *S. Augustino*, *nihil sic probet amicum, quam oneris amici portatio*. Hinc & Apostolus Gal. 6. 16. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. At

VI. Sicut *concordia* bonorum ex bono corde, bono fine, bono modo, bono ordine, necessarium bonum est in communitate Religiosorum; ita è contra *Concordia* malorum, ex malo corde, malo fine, malo modo, ad resistendum scil. ordinationi Regulæ, superiorum piæ intentioni &c. Intestinum & serpentinum est in Religione malum, dissipans omne bonum: quod proinde *S. Communitas expressius plangit, sentit differentiùs, & vigilantius cavendum existimat, utpote intestinum & domesticum malum*, *S. Bernard.* serm. 29. in cant. Hæc concordia noxia parit animorum non conjunctionem, sed contradictionem; tandemque resolvitur in fatale odium, in mutua charitatis exterminium, in rei oeconomicæ exitium, in communitatis vix reparabile detrimentum; cui tantum nocet, quantum navi, si afferes ejus in carina perforentur, aut sejungantur, ut naufragium sit certius, & periculum submersionis evidentius. Hanc pestilentem concordiam

diam

diam à Monasteriis omnibus proscribere intendit *S. Gregor. l. 33. Moral. dum inquit: Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si sit in malis: perversos quippe unitas corroborat dum concordant, & tantò magis incorrigibiles, quantò magis unanimes facit.* Per hanc concordiam pestiferam, omne bonum in Religiosis talibus vel impeditur vel inficitur, vel effunditur, vel corrumpitur, vel in vitium convertitur, ut acetum in vinum.

CAPUT VI.

Concordia Religiosorum plurima parit bona inter illos; nobile est Patrimonium.

I. **D**E quo *S. Bern. serm. 29. in cant. Nonne presentis Congregationis filii omnes vos estis? singuli alterutrum fratres? quid ergo à foris vos conturbare, aut contristare possit, si intus bene estis, & fraterna pace gaudetis? quam obrem emulamini charismata meliora, ut bonos vos prebeatis emulatores: charisma per optimum charitas est. Hoc igitur est quod dico, pax vobis à vobis sit, & omne quod extrinsecus minui videtur, non terret, quia non nocet. Nam è contrario quidquid foris blanditur, nulla est profectò consolatio si intus, quod absit seminarium discordia germinaverit. h. 1.*

II. *Discordia, Mater multorum malorum, sollicitè evitanda. De qua S. Bern. lc. longè, queso à vobis facite semper hoc abominabile malum; vos,*

qui experti estis, & quotidie experimini, quàm bonum, & quàm iucundum sit habitare fratres in unis, si tamen in unum, & non in scandalis, alioqui nec iucundum planè, nec bonum, sed pessimum, ac molestissimum. Vt autem homini illi per quem unitatis vinculum turbatur: iudicium profectò portabit, quicumque est ille. Antè mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam iuste clamitantem: filii Matris meae pugnauerunt contra me. h. i.

III. Concordia odit divisionem. In Proöm. Regula: S. August. in unū estis congregati, ut animi habitetis in domo, & sit vobis anima una, & eor unū in Deo, ait Hugo Victor: si in unum congregati sumus corporaliter, ut simul habitemus spiritualiter oportet: non enim prodest, si nos contineat una domus, & separet diversa voluntas: plus enim attendit Deus unitatē animi, quàm loci. h. i. Salustius contra Catilinam: Idem velle atque nolle eadem firma amicitia est. Et Seneca epist. 109. Dulcissimū honestissimūq; est, idem velle, atq; idē nolle. Similiter sentit J. Cassian. collat. 16. c. 3. in his tantum ininterrupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum, ac voluntas, unum velle atque nolle consistit. Ad id ipsum adhortatur Apost. Philip. 2. 2. implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes id ipsum sapientes. In quæ verba S. Hilarius: hoc Apostoli gaudium est, id ipsum nos sapere, amore eodem contineri, per unius sensus sententiā unanimes permanere. Addit Picinell: hoc debent facere Religiosi prudentes, quibus cordi est salus publica, & decor ordinis. Insuper Hugo Victor. cit. in Regulam S. August.

August. *Ecce in una domo sumus plures homines, diversi mores, diversa corda, diversa anime, Hec omnia debet conjungere in unum una intentio, & amor unus in Deum. Debemus ergo in hoc esse unius animi, & unius voluntatis, ut serviamus Deo, & ut diligamus eum ex toto corde, & ex tota anima h. i.*

IV. *Concordia facit unius moris in domo. psal. 67. 7. Ad quod ipsum obtinendum idem Spiritus debet omnes confœderare. Cujus exemplum nobis ad imitationem dedit Pater Spirituum Num. 12, 17, dicens Moyfi: auferam de spiritu tuo, & tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. In quæ verba Petrus Damiani: de spiritu Moysis vires dedisse Dominus dicitur, ut & ordinatores, & ordinatos unum debere spiritum habere perspicuum doceatur; quatenus Rectores Ecclesie nequaquam inter se diversa sentiant, unde schismata & hæreses pestilentes emergant; sed unum omnes concorditer doceant, atq; in unitate spiritus unanimiter vivant. h. i. Proinde conjunctio debet esse non solum cordium, sed etiam intentionum, & operationum, ut qui ad unum finem collimant, ad eundem conjunctione animorum tendant & collaborent. De quo est figura, Ezech c. 1. Animalia quatuor ibant anteorsum, quò impellebat Spiritus nec revertebantur, cum ambularent: junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. &c. præclarum hoc esse prototypon charitatis & conjunctionis inter religiosos, constantisq; propositi eorum, ait Picinellus. Hanc concordie unitatem amplius descri-*

bit Apost. ad Philip. 2. 10. *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes id ipsum sentientes, nihil per contentione, nec per inanem gloriam facientes, non qua sua sunt, singuli considerates, sed qua aliorum hi,*

V. *Concordia*, mutuaque charitas conciliatur, & fovetur per exactae obedientiae studium. Nam, ut discutit *Lobnerus*, quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, id est, si subditi bene conveniant in obediendo uni tertio, scil. Superiori, etiam bene inter se conveniunt, & per mutua charitatem concordant. Unde bene dixit *S. Franciscus Borgia*, quod per tria conservetur Societas *JESU*, scil. 1. per orationem quotidianam mentalem integræ horæ, quæ conjungit nos Deo; 2. per obedientiam perfectam, quæ conjungendo nos per charitatis subjectionem cum Superiore, jungit nos ad invicem; 3. per persecutiones exteriores, ac invidentias, per quas abstrahimur à saeculo. Optimè ergo exactam obedientiam *Rodriguez* comparat *holstorio*, per quod omnia complanantur & æquantur, magnaq; inter membra Religionis introducit unio, & æqualitas. *Ad hanc unionem*, animorumque concordiam, singulis Religiosis fortius inculcandam facit, quod *S. Teresa* ex Christi revelatione didicerit, ex 4. principalibus, per quæ profectum sortitura esset Religio PP. Carmelit. Discalc. esse unum, si Superiores fuerint inter se concordēs & unanimes. Hæc *unanimitatis coherentia* sit etiam Superiores inter & sub-

sub-

subditos; nam ejus defectus plurima parit mala, quæ agnovit *Chrysoſt.* in epist. Rom. ubi inquit: nihil enim est, quod Ecclesiam Dei ita destruere & dissolvere potest, ut quando discipuli Magistris, & patribus Filii, & principibus subditi non magno studio coherent. h. i. non mirum; quia juxta vocem Christi, regnum in se divisum desolabitur.

VI. De hac *unionem animorum*, & concordia sollicitè amanda & conservanda dicitur in 8. p. Constitut. Soc. JESU c. 1. Quò difficilius est membra hujus Congregationis cum suo Capite, & inter se invicem uniri. -- eò in pensius, quæ juvant ad unionem, quærenda sunt: quando quidem nec conservari, nec regi, atque adeo nec finem, ad quem tendit Societas ad majorem Dei gloriam, consequi potest, si inter se & cum Capite suo membra ejus unita non fuerint. -- Et quidem circa animorum unionem, quedam ex parte subditorum, quedam ex parte Superiorum, quedam ex utrorumque parte juvabunt. Ex parte subditorum juverit, magnam turbam hominum ad professionem non admitti: nec quoscumque sed selectos homines retineri: multitudo enim magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem. -- Et quia huiusmodi unio magnâ ex parte per obedientiæ vinculum conficitur; hæc semper in suo vigore conservanda est. -- Subordinatione conservata, unio, quæ in ea quàm maximè consistit, aspirante gratia Dei, conservabitur. Si quis divisionis, vel dissensionis eorum qui unâ vivunt, inter se vel cum suo capite auctor esse cerneretur; diligentissimè ab ea Congregatione, velut pestis quæ eam

Hh 4

potest

potest summopere inficere, si praesens remedium non adhibeatur separandus est. -- Praecipuum utriusque partis vinculum, ad membrorum inter se & cum Capite suo unionem, amor est Dei, ac Domini nostri IESU Christi: cum cuius divina ac summa bonitate, si superior & inferiores valde uniti fuerint, per facile inter se ipsos unientur: idque per eundem illum amorem fiet, qui à Deo descendens ad omnes proximos pertinet h. i. Hinc & p. 9. c. 2. inter doctes varias, quibus ornari Praepositum Generalem optandum est, omnium prima haec erit, ut cum Deo ac Domino nostro quam maxime conjunctus, & familiaris, tam in oratione, quam in omnibus suis actionibus sit; ut eò uberius ab ipso, ut boni totius fonte, universo corpori Societatis abundantè donorum, ac gratiarum eius participationem, ac multum valoris & efficacia omnibus illis rationibus, quibus ad animarum auxilium utetur, impetret. h. i.

CAPUT VII.

De charitate ad externum proximum habenda.

I. **Q**uoniam juxta verbum Christi, luc. 6. 38. *date & dabitur vobis.* lucrosa res est charitas ad proximum, & misericordia; hinc, *quod vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* si parca manum ad subveniendum proximo in operibus misericordiae tum corporalibus, tum spiritualibus habneritis, etià manus divina contra ea erit vobis; &

& ipse occludet corda, & retrahet manus benefacere potentium. Qui magnos vult capere pisces, pisciculum hamo affigit. Religiosi magis dediti operibus misericordiae magis benedicuntur à Deo etiam in temporalibus; nam Christus suo verbo deesse nequit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, non solum in futuro, sed etiam in hoc saeculo, non solum in anima, sed etiam in corpore. Hinc verissimum dicit Scriptura Prov. II. 17. *Benefacit anima sua vir misericors*, id est, alteri benefaciendo, simul insuper sibi ipsi indirectè benefacit, dum sibi fructus ex opere charitatis accrescit veluti granum frumenti (ut ait *D. Basil.*) projectum in terram, fructum reddit, & lucrum uberius parit seminanti. De quo & *S. Gregor.* in Registro: *Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum; quia, quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur.* h. i.

II. Opus angelicum, & valde fructuosum est etiam temporaliter, si pauperes Religiosi ex paupere penu pauperibus libenter communicent. De quo eleganter doctrinaliter *S. Chrysol.* homil. de eleemosyna: *Manus pauperis est Abrahae sinus, ubi, quidquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus caeli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in caelum. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias caelum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum: da pauperi, ut des tibi; quia quidquid pauperi dederis,*

tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. b. i. Aptè ad hæc quoque ait Hugo Cardinalis, quòd viri misericordiæ dum miseras aliorum sublevant, in propriis egentis & miseriis sublevari merentur. Dumque in hoc parci & avari sunt, sibi ipsis etiam temporali dispendio nocent. De quo *Lanzizius* ex Soc. Jesu exemplū narrat, quòd *Rodriguez* viderit quondā dæmones nube densa, protinus supra vineam, illam grandine frequenti penitus destruxisse, ideoque iussus est à Deo Superiori significare, id ob defectum spei, & paritatem ipsius contigisse. Proinde *beatius est magis dare quàm accipere*, quod est verbum Domini Jesu, Act. 20. 35.

III. *S. Franciscus* Pater noster singulariter fuit à Deo benedictus benedictione temporali & spiritali, eò quòd singularem ostenderit semper miserationem ad alios egentes: Dum vestem dedit malè vestito militi, vidit de nocte Christum, speciosum palatium cum militaribus armis rependentem, dicente Christo: *Tua erunt hæc omnia, & militum tuorum.* Franciscana Religio gloriatur in eodem Christo promissore largissimo, totum mundū esse suum, ad suum obsequium, & beneficium, si Francisci virtutes imitari non destiterit. Meritò *S. Franciscus* cum Job dicebat: *Pater eram pauperum*, quia magno charitatis officio studium misericordiæ vertit in donum naturæ: & dum externis pauperibus succurrere non destitit, suis pauperibus Filiis divinæ beneficia largitatis abundè præsto esse semper expertus fuit. Et qui in se ipso paupertatis egestatem vix sublevabat,

in

in aliis eam tolerare vix poterat, quin sublevaret; sibi pauperi durus, aliis pauperibus benignus: invidus alienæ inopiæ ex compassione pia, suam verò sufferens ex virtute ingenita. Sat dives erat *Franciscus*, cui Conditor efficiebatur census. Quod idem satis agnovit *S. Birgitta* c. 70. revelat. extravag. quæ cum argueretur de nimis profusa liberalitate à suo dispensatore, cum tamen ipsa met indigeret; respondit plena charitatis & confidentiæ: *Demus, cum habemus, quia benignus Deus largus est nobis dare, cum indigemus.* h. i.

IV. Superior qui nimis parcus & avarus est tum erga suos subditos, tum erga externos vel pauperes, vel hospites, ex hoc fine, ut majorem substantiam conglomerando, Monasterii bona augeat, areas dilatet, ædificia ampliet, magnumque sibi nomen acquirat, ipsius annona minorabitur, benedictio in temporalibus subtrahetur, & instar spumæ marinæ deficiet, juxta illud Prov. 28. 22. *Vir qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat, quod egestas superveniet ei.* Hinc tales Superiores monet Apostolus Heb. 13. 5. *Sint mores sine avaritia, contenti presentibus; ipse enim dixit: non te deseram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor &c.* De tali Superiore indiscreto, ac inhumano verificatur, quod dicit *Innocentius* de vil. cond. hum. *nec patientibus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur, sed offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum; nam Deo detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna: Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis.* h. i.

Non

Non oportet plus amare pecuniam, quam proximi animam: sed potius pecunia oportet imperare, non servire. Pecunia si uti scias, ancilla est; sine scias, Domina. Seneca in prov.

V. *Charitas ad proximum* est scenus Deo placitum, sceneranti fructuosum, dupliciter lucrosum: nam, qui miseretur pauperis, Domino sceneratur. Hinc S. Ambrosius, quid hoc melius bono, si pauperibus largiaris, in quo tibi Deum debitorem quadam pietatis sceneratione constituas? sit ergo (ut ait D. August. in psal.) *Augmentum charitatis imminutio cupiditatis*; ne, ubi regnat nimia cupiditas, refrigescat debita charitas. Si Deum amemus, nummos omnino non amabimus contra Deum. Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo utaris ad necessitatem, non ad irritamentum cupiditatis. Hæc D. August. Nimia anxietas de non sufficientia, displicet Deo, nec proficit anxio: melius sensit, qui dixit psal. 22.1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocabit.* De hoc plenæ sunt historix Sanctorum.

VI. *Hospitalitas*, maximè erga Sacerdotes, Clericos, Religiosos (neutiquam tamen ad apostatas, ceteris paribus) pauperes, advenas, peregrinos, afflictos, parvulos fame pressos ac nudos, Scorphanos &c. in omnium ordinatarum Religionum constitutionibus præcipitur; attamen talis, quæ nec recipientibus, nec receptis sit occasio aut causa excessivæ inordinationis. Hinc quàm maximè placet, quod de hoc legatur in *Constitut. Canon. Præmonstrat. D. 2.*

e. 21. §. II. ubi decernitur, *ut in quacumque hospitium receptione hoc observetur, ut animi vultusque hilaritas eis exhibeatur: Et omni luxu ac ostentatione rescissis, juxta religiosam mediocritatem sufficienter cujusque necessitati, non voluptati satisfiat.*
 h. i, Unde hospitalitatem non jubet rationabilis charitas exhiberi iis; qui delicias & voluptates quærunt apud Religiosos, nullo alio motivo saniore incitati. Porro, cum charitas, quæ exhibetur hospiti propter Christum, ipsimet censenda sit exhiberi Christo, (ut ajunt, & experti sunt D. August. & D. Gregor.) hinc pari reverentia, affectuque obsequium hospiti est impendendum; quod indubiè Christus (cui nihil perit) multipliciter remunerabit ibi, ubi minùs speraverit, qui exhibuit. Hinc apud dictos, aliosque sanctos (qui hospitalitatis claruere virtute) indubitata fuit persuasio, hospitalitatem Monasteria non depauperare, sed conservare, *date & dabitur*: justissimum est, Conditori exigenti reddere in hospite, quod dedit hac conditione.

VII. Quoniam etiam in Constitutionibus nostris præcipitur, ut saltem bis in septimana pauperibus plebeis ad ostium mendicantibus, id, quod Fratribus residuum est, in eleemosynam erogetur, juxta illud: *quod superest, date eleemosynam, & gratis accepistis, gratis date*; Cura hinc Superiorum exposcit, ut id, quod his desolatis pauperibus, & caris Christi membris erogandum est, quamvis sit quoad substantiam vile & exile, tamen sit mundum, cum charitate accommodatum, ex cordis sinceritate benignè dispensatum ita,
 quafi

quasi esset pro seipsis, seu potius cum tanta devotionis fide, charitatis affectu, humilitatis sensu, ac si ipsimet Christo in mendico petenti porrigerent. Ita fecit copiosè à Deo remuneratus *S. Ludovicus* Rex Galliae, qui flexis genibus pauperibus serviebat, quasi suis Dominis, immo ut Christo. Idem de multis aliis Sanctis legitur. Dives Christus qui in paupere recipit, id abundè retribuit: quod hoc canali effluit, id alià ignotà venà abundè refluit. Quoad hoc me multum adificavit devota consuetudo, quam vidi praticari prope Augustam Trevirorum in aliquo Monasterio *S. Benedicti* à Reverendissimo D. Praelato (cujus memoria sit in benedictione) qui accumbens, primam & meliorem portionem è communi catino extrahebat pro Christo, id est, pro paupere; si etiam pro infirmo, major erat charitatis ostensio, & meriti augmentatio. Deus non obliviscitur hujus operis, sed benedictos benedicit ampliùs. Hinc & Religiosi illi multum commendandi, qui, amore virtutis, & Jesu olim pauperis, sibi quantumvis minutula in prandio aut cœna subtrahunt, ut Christo in paupere detur, quorum plurimi sunt, qui egestate pressi nesciunt, quid sit ad sarietatem manducare panem siccum.

VIII. De hospitibus excipiendis hoc statuit *Regula S. Benedicti*: *Omnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiatur; quia ipse diciturus est: hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè domesticis fidei, & peregrinis &c. h. i.*

CAPUT VIII.

De amanda Religiosa paupertate à Superiore & subditis regularibus.

I. *J*ure assero *amorem religiosa Paupertatis* numerandum inter media tum spiritualia tum quasi corporalia communitatis religiosæ facilius conservandæ, seu cum religiosa sufficientia vivendi in communi. *Cujus ratio est*; quia ille duo beneficia (ut ait *D. Bonav.*) confert Religiosis, 1. ut sint paucis contenti, 2. ut non faciliè murmurent. Non est autem intentio mea, ut, quæ in hoc Cap. dicentur, sint Superioribus occasio sordidæ parcitatis, nec subditis injustæ contra me indignationis; sed potiùs exercendæ utrobique virtutis. De illo autem malo aliorum mentem & verba, quàm propriam proferre, & devotis Religiosis proponere. De quo *Alphonsus à Jesu Maria* in suo *Consiliario Spirituali*, disc. 13. consil. 5. ita discurret.

II. Oportet, ut Prælatus sit præditus magna spiritûs paupertate, sibi que honori ducat, si eam accuratè servet; quod assequetur, si suum sensum sensui *D. Bonav* accommodârit: *Quanto intimiùs*, ait hic lc. suprà, *paupertatem dilexeris, tanto subtiliùs de necessitate judicabis.* Quemadmodum autem perfecta paupertas in subditis non permittit pro eorum peculiari usu alicujus rei nisi omnino necessariæ concupiscentiam, vel admissionem; pari modo ut in uno perfecta sit Prælato, opus est, ut ipsi impendiorum communium certos statuatur

ruat

tuat limites, quibus servatis omnem superfluitatem à se proscribat. Debet proinde paupertas Prælati ita esse circumscripta pro expensis communibus, sicuti est subditi restricta pro specialibus. Paupertas ergo & moderatio instar margaritæ in pretio est habenda. Eapropter magna Mater nostra *Teresia* paupertatis valorem & utilitates plenè perspectas habens, dicere solebat, se plus dolere, quando omnia habebat in copia, quàm alicujus rei defectum & penuriam patiebatur. Et hoc multa cum ratione; quia affluentia plerumque relaxationem inducit, necessitatis verò alicujus tolerantia est lapis lydius veræ paupertatis, divinaque providentiæ argumentum. Deus enim promissione firmavit, se habiturum curam eorum, qui omnia amore ejus reliquissent, suumque fuissent imitati exemplum, cautionem præstante Petro Apostolo in hæc verba: *Quoniam ipsi cura est de vobis.* 1. Petri 5. 7. *h. i.* Pergit.

III. Magna ergo cum ratione, ut Lucas Evangelista refert c. 22. 35. est percontatus noster Salvator suos quondam discipulos, utrum aliquid defuerit ipsis, dum eos sine mantica, sine nummis, & nudipedes misit? *Quando misit vos sine sacculo & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.* Pauperum enim evangelicorum provisio fundatur in modo vivendi pauperis instar, quo si se gesserint modo, numquam permittet Deus, ut taliter rerum temporalium subsidio sint destituti, quò minùs vitam traducere possint. Et in hoc sensu accipit Seraphicus Doctor *Bonav.* illam Davidis sententiam, quâ dicitur:

tur:

tur: divites egerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Psal. 33. 11. Divitiis affluentes famem & necessitatem sunt passi; quærentes verò Deum nullius rei habuere penuriam. Propterea ita subjungit idem Seraphicus Doctor de perfect. vitæ c. 3. NB. Si paupertatem, quam professi estis, contempseritis, omnium bonorum tam temporalium, quam spiritualium egenes eritis. NB. q. d. Dum ex institutione, & vitæ conditione, pauperes more divitum victitare volunt, cum Deus in pœnam talis modi vivendi, privat eos & corporis & animæ bonis, quæ eis quæ pauperibus sua munificencia largitus fuerat. *h. i. Pergit.*

IV. Ipsa etiam experientia docet, superfluas, quas Prælati in sumptuosis fabricis, & pretiosis sacristiæ ornatibus, aliisque similibus modum excedentibus facturis & operibus facere sunt soliti expensas, plerumque redundare in subditorum collectionis, silentii, & conversationis cum Deo detrimentum, ipsosque hac ratione omnem spiritum perdere; quæ deinde causa est, ut sensim necessariis destituantur. Magnopere cavendum est Prælato, ne præfecturam in suum commodum, lautumque vivendi modum convertat; sed imitetur in paupertate Christum Jesum, ut ratione hujus imitationis suis subditis jure dicere possit, quod Apostolus in hæc verba suis dixit Corinthus 1. Cor. 4. 16. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Identidem proinde recogitet secum, se communitatis

riscaput existere ; res autem monstri similis esset , si caput egentis & nudi corporis vellet esse locuples , omnibusque ad vitam necessariis superfluè instructum. *h. i.* Ad quod cordatiùs exhortatur Sanctus Bonaventura , in memoriali isto dicens : *Zelans sacratissimam paupertatem in omnibus , qua ad te spectant ; asperitatem , vilitatem , & parvitatem habeas , quantum potes : non tamen in aliis requiras : sed potius letus & gaudens de omni consolatione fraterna , eis sicut oportet , obsequendo , & ministrando assistas , omni consolatione eos reputans esse dignos.* *h. i.* Pergit præcit. auctor.

V. *Prima ergo doctrina à Prælato subditis danda est paupertatis exemplum , in cunctis monstrandum rebus ad usum suum spectantibus.* Hac docendi methodo usus est Redemptor noster cum iis , qui scholæ suæ accenseri cupiebant. Cuidam enim illorum pro discipulo se offerenti , ante omnia considerandam & imitandam suam per raram paupertatem proposuit , dicens Matth. 8. 19. *Accedens unus scriba , ait illi : Magister sequar te , quocumque ieris.* Et dicit illi Jesus : *Vulpes foveas habent , & volucres cali nidos ; filius autem hominis non habet , ubi caput reclinet.* Quo sapientissimo responso providentissimus Magister instruere Prælatos voluit , quòd , nisi in hac virtute bene sint fundati , suis subditis numquam satis persuadere possint primam perfectionis evangelicæ fundamenta , que sunt submissio animi , & perfectus rerum omnium

tempo

temporalium despiciatus. Hujus rei gratiâ consulit *D. Bonav.* Superioris ritè fungi volenti officio, ut in usu rerum necessariorum sit admodum frugalis & moderatus pro se ipso, totumque quod aliquam pompam vel curiositatem sapere potest, excelfo contemnat animo, singularemque intendat curam, ut totum quod ad suum habet usum, prædicet paupertatem. De quo *S. Bonav. loc. cit in libro 4. supra. Hucusque citatus auctor.* Porro *S. August.* suam de paupertatis fructu in Regula addit sententiam, dum inquit: *Illi se existiment ditiores, qui fuerint in sustinenda parcitate fortiores: Melius est enim minus egere, quàm plus habere. h. i.* Et *S. Chrylost. Egestas propter Christum tolerata martyrem facit.*

VI. Porro hic paupertatis sensus & affectus in Superiore, generat in eo (Deo sic remunerante virtutis meritum.) majorem ad Deum confidentiam, & in egestate voluntariâ saporem. De quo *Sanctus Bernardinus* serm. 2. de paupertate doctrinalem hanc adducit *Parabolam.* Rex quidam duas filias habuit, unam pulcherrimam, aliam turpissimam: pulchra appetebatur ab omnibus, & honorabatur; turpem verò nullus nedum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissimè flebat in conspectu Regis: Cui Rex: noli flere dilectissima Filia mea; nam qui in sponsam duxerit sororem tuam, nihil secum accipiet nisi pulchritudinem ejus; qui verò sponsam acceperit te, dabo illi regnum meum. *Explicatur Parabola.* Filia pulchra est gloriosa sæculi vita,

plena divitiis, deliciis, & magnificentia: filia vero turpis paupertas voluntaria est, plena penuriis, plena cruciatibus, plena despectionibus. Tamen voluntariis pauperibus solatio est, penuriam pati, cruciatibus fatigari, & ab infenso mundo despici. Hanc turpem filiam qui acciperit in uxorem, promittit ei Dominus regnum suum dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* h. i.

VII. *Dicta hac fiducia* Religiosus quilibet sibi maxime devincit Dei amicitiam, & providentiam; si nimirum impleverit, quod dicitur Sap. i. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis querite illum.* Hoc fecit & experta fuit S. V. Gertrudis (Blos, cap. 13. Monil. spir.) quae tantam fiduciam de divina misericordia concepit, ut neque pericula aut tribulationes, neque temporalium rerum damna, aut quaecumque alia infortunia, sicut nec proprii defectus & errores illam movere, aut contristare potuerint; quoniam certa erat, haec omnia tam bona quam mala, divinam providentiam sic ordinante, in animae suae bonum, & spirituale incrementum cedere. Unde Christus huic Sanctae Virgini apparuit, & ut eam magis in hac pia fiducia confirmaret, ait: *Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo, posse, scire, & velle me ipsum fiducialiter invocare in omnibus, cor mihi transfigit, tantamque pietati meae violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, & manus porrigere, ob gustum, quem ex eo, quod totus à me pendeat, capio.* h. i.

VIII. Paupertatis necessitas & utilitas breviter insinuatur p. 10. Const. Soc. Jesu his verbis: *Quia paupertas velut propugnaculum est Religionibus, ut eas in statu suo, & disciplina conservet, & à compluribus hostibus defendat (unde etiam demon enititur illud variis rationibus evertere)* refert plurimum ad conservationem & augmentum totius hujus corporis, procul admodum omnem avaritia speciem ablegasse &c. h. i.

De eadem bene dixit Ludovicus à S. Petro Carmel. Leod. in sua disciplina monastica: *Sicuti juxta philosophos, turpissime errat, qui errat in principiis; ita qui paupertatem offendit, contra unum ex præcipuis religiosa vite principiis impingit; nam in paupertate evangelica suggerenda totus desudavit Christus Dominus, voce, mente, manu: voce ad doctrinam; mente ad consilium; manu ad exemplum: docens verbo, inspirans consilio, consecrans exemplo.* h. i. ex Tertull. & S. Bernardo. *Quamvis mundi judicium sit longè aliud; de quo S. Gregor. in moral. Quid namque stultius videtur mundo, quam possessa relinquere, paupertatem eligere?*

&c.



CAPUT IX.

*Despicientia rerum temporalium probat virtutis
heroicæ radicationem, conciliatque majorem
cum Deo amicitiam, & ejus providen-
tiæ favorem.*

I. **F**UNDATÈ dicit l. i. imit. c. 18. §. 5. *O! quantus
fervor omnium Religiosorum in principio sua
institutionis fuit! quanta emulatio virtutis!
quàm magna disciplina viguit! quanta reveren-
tia, & obedientia sub Regula Magistri! &c. c. 25.
§. 8. Satis arctati sunt sub disciplina claustrali
rarò exeunt, abstractè vivunt, pauperrimè com-
dunt, grossè vestiuntur, multùm laborant, pa-
rum loquuntur, diu vigilant, maturè surgunt, or-
ationes prolongant, frequenter legunt, & se in o-
mni disciplina custodiant, &c. Illi sciverunt æ-
stimare virtutis pretium, paupertatis valorem,
rerum fluxarum labilitatem, ac deceptoriam
inanitatem. Verecundamur meritò, & in-
genti rubore suffundimur, dum eandem
paupertatem cum illis vovimus, quam ta-
men tamquam odibile bonum fugimus, aliena-
mus à nobis, horremus, odimus, & tam-
quam fatuam hujus mundi simiam irridemus;
immo interdum pudet nos pauperes esse, videtis
haberi, & ut tales tractari ab aliis. Perizomatibus
pauperum Christi nuditatem nostræ virtutis con-
tegemus, cujus tamen amorem à nobis maxime*

alie-

alienum scimus. Sic mundum decipimus, non derelinquimus: paupertatis titulum vendicamus nobis & arrogamus, quem tamen aliqui indigni gerimus. Utinam justa hæc nostra confusio esset antiquæ & emortuæ in nobis hujus evangelicæ margaritæ resuscitatio! Ad quam vigorosius auspiciandum, proderit Heroica antiquorum Sanctæ paupertatis exempla in medium adducere, qui fuerunt Deo ideo amici chari, quia in paupertate perfecti imitatores Christi.

II. *S. Amatum* amatorem mirabilem evangelicæ paupertatis (de quo Surius in vita) invisit certus Episcopus, ejusque ingenti inopiæ sublevandæ liberalem eleëmofynam obtulit. Quam eum vir sanctus acceptare constanter renueret, eam Episcopus clam altariolo, in quo Sanctus Eremita sacrificare solebat, impositam reliquit. *Amatus* igitur altera die videns ibi depositam pecuniam, in profundam vallem abjecit dicens: *Deus pars mea est, vobis autem non indigeo.* II. Pariter eum *Sancta Melania* venisset ad tuguriolum pauperrimum *S. Ephastionis* Eremitæ, & pecuniam oblatam, sed ab illo receptam reposuisset in sportula ibi ad parietem hærente, recommendando se precibus ejus; *S. Eremita* pecuniam illam in flumen projecit, maledico, ut per aquas nataret, quàm ut suam mentem inquietaret, & fluctuare faceret. III. *S. Spiridion*, quia Imperatori Constantino suis precibus sanitatem restituit, in gratitudinis vicem sibi ab eo ingentis auri vim offerri vidit: quam de-

testatus recusando ait : O Cæsar , non est æquum , ut amicitiam odio & invidia remuneres : magnum suscepi iter , ut obedirem tibi : & pro tanto labore nunc vis mihi dare aurum , quod est causa omnis mali ?

III. De primis *S. Francisci Sociis* scribit *S. Bonav.* in vita ejus cap. 4. §. 2. & 7. paupertatis evangelicæ mirandum exemplum & fructum , dum inquit : *Secundum S. paupertatis formam in labore multo & inopia victitabant* --- Ipsa quoque rerum penuria suprabundans eis videbatur ubertas ; dum juxta consilium Sipientis , *Eccli 29. 30.* pro magno ipsis minimum complacerebat. Sane cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus pervenissent , contigit , ut quidam Saracenus pietate commotus pecuniam eis offerret pro necessario victu : illis autem recusantibus accipere , admiratus homo , cernens , quod inopes essent. Intellecto tandem , quod pauperes effecti amore Dei , pecuniam possidere nolebant ; tanta est eis affectione conjunctus , ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria , quamdiu facultatum sibi aliquid superesset. O inestimabilis pretiositas paupertatis ! cujus miranda virtute mens feritatis barbarica in tantam miserationis est inmutata dulcedinem ! horrendum est proinde ac nefarium scelus , ut hanc margaritam nobilem vir Christianus conculcet , quam tanta veneratione extulit Saracenus. h. i.

IV. *Pelagius* in vitis Patrum lib. 6. num. 19. memorat insigne paupertatis heroicæ exemplum hisce verbis : vir admodum locuples venit

in

in eremum Schythi, deferens secum plurimum auri, ut illus loci presbyter id distribuere Monachis indigentibus. Cui cum Presbyter diceret, non indigent Fratres pecunia; at ille nollet requiescere; mandavit Senior, ut omne aurum poneretur ad fores Ecclesiæ, quò quisque Monachus acciperet, quantum vellet. Mirum! cum omnes ingrederentur, & audirent pæconem, nullus tamen ex omnibus fuit, qui obolum acciperet: immo nonnulli explicatam pecuniam nec aspexerunt. Probè enim noverant hi Sancti Monachi, paupertatem esse optimum monachi thesaurum; & qui illo destitutus est, pauper sine merito, & hinc miserabilis dicendus est. Hanc porro panperiem utpote à Christo præscriptum ad perfectionem medium omnes Apostoli exoculati sunt, ut *Eusebius* loquitur, & tamquam sponsam coluerunt omnes Ordinum Fundatores, ita ut *Cassianus* dicat collat. c. c. 8. Multa millia monachorum sunt, qui post abrenuntiationem nec denarium habent, nec habere voluerunt, etsi in abundantia oblatis fuerint. Hic heroicus in ipsis paupertatis amor & inopiæ ingentem in ipsis ad Deum fiduciam peperit; quod fatetur *S. Chrysost.* in lib. quòd nemo læditur nisi à se ipso, ubi inquit: *quid Apostolos penuria rerum temporalium lædit? nonne in fame, & siti, & nuditate degebant, & pro his clari magis, & magnifici habebantur, atque ingentem per hoc fiduciam quaesierunt apud Deum?*

V. NB. Ex memoratis tamen exemplis nullus pius & prudens lector sumet occasionem ra-

xandi, suggillandi, judicandi, ac contemnendi Religiosos illos, quibus in communi à sede Apostolica indultæ sunt possessiones, ut quietiùs singuli quicumque Deo vacarent, quique ideo indigent tractare pecunias, recipere, in necessaria alimenta, & vestimenta, fabricas monasterii, & alia necessaria expendere. Nunc enim cum multiplicata sint Religiosorum Monasteria, impossibile est, posse omnes ex mendicato vivere (cum tamen plurimi sint ordinum mendicantium Religiosi) maximè cum tempus jam sit, de quo Christus dixit: *refrigescet charitas & abundabit iniquitas multorum*, Matth. 24. Proinde tales Religiosi non sunt ullatenus condemnandi tamquam imperfecti positivè, aut transgressores vitæ evangelicæ quasi præceptæ; nam & in hoc se Christi imitatores probant, qui nonnumquam loculos habuisse legitur, ad condescendum infirmis & imperfectis, qui eis carere vel nolunt, vel non possunt: subinde etiam arctissimam paupertatem servavit, prout adnotarunt *D. Bonav. & D. Thomas & ante ipsos D. August. & ven. Beda*. Proinde bene distinguendum est, quod, aptè ad hunc discursum, ait Glossa ordinaria super illud Marci 19. *quàm difficile qui pecunias habent &c. Aliud est pecuniam habere: aliud, amare. Multi habent, & non amant: & multi non habent, & amant. Item: Alii & habent, & amant: alii verò non habere, nec amare se gaudent, qui tutiores sunt, & quidem cum Apostolo dicere possunt: mihi mundus Crucifixus est, & ego mundo, h. e. Ex his modis*

unus est indifferens & licitus, unus insuper bonus & meritorius, alius melior, alius optimus.

VI. De pecunia, & aliis possessionibus competentibus Religiosis ita inquit *D. Thom. 2. 2. q. 188. a. 7. in corp. Tribus gradibus Religionum triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones activæ vitæ, competit habere abundantiam divitiarum communium. Illis autem Religionibus, quæ sunt ordinate ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas; nisi simul oporteat tales Religiosos per se vel per alios hospitalitatem tenere, & pauperibus subvenire. Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maximè ab exterioribus sollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conservantur. h. i. Ex quibus patet, quòd *S. Thomas* apertè asserat, congruum esse, ut ab aliquibus Religiosis possessiones teneantur, quæ sine pecuniarum tractatione & expositione hoc tempore nullatenus haberi possunt. Et *S. Hieron.* super *Matth.* inquit, respondemus, quòd rem pauperum in suos usus convertere nefas putavit, scil. solvendo tributum: quia inter illos pauperes præcipuè erant discipuli, in quorum necessitates pecunia loculorum Christi expendebatur. Dicit enim *Joan. 4.* Discipuli abierunt in civitatem, ut cibos emerent. & *Joan. 13* dicitur, quòd discipuli putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixisset ei *Jesus*: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem Festum; aut egenis aliquid daret. Et *D. Thom.**

opus.

opusc. 19. c. 6. Nec Dominus loculos habuit, quasi
 aliàs ei non potuisset provideri, sed ut infirmorum
 gerens personam, ut sibi licitum crederent, quod à
 Christo observatum viderent. Et Ven. Beda in
 Luc. 12. ubi non hoc præceptum esse putandum est,
 ut nil pecunia reservetur à Sanctis, vel suis scil. vel
 pauperum usibus suggerenda: cum & ipse Dominus,
 cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam
 Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & à fide-
 libus oblata conservans, & suorum necessitatibus,
 aliisque indigentis tribuens; sed ne Deo propter
 ista serviatur, & ob inopia timorem justitia dese-
 ratur. h. i.

V. S. Bonav. de paupertate Christi, ait: ex his glos-
 sis manifestè apparet, quòd modus habendi loculos
 in Domino, in nullo minuit paupertatem. Sic enim
 Dominus condescendit infirmitati & necessitati, ut
 tamen salva esset forma paupertatis, & exemplum,
 quòd præcipue monstrare venerat hominibus. I-
 dem expressius in apolog. pauperum sic ait. Uni-
 genitus Dei cum dives esset in omnes, pro nobis adeo
 factus est egenus, ut alieno cibo vesceretur. Non
 sine magni dispensatione divini consilii loculos fe-
 cit deferri; quorum tamen custodia illum deputa-
 vit discipulum, quem furem & proditorem præscie-
 bat esse futurum: habuit enim loculos Christus, 1. ad
 consolandum infirmos, 2. ad repellendū impro-
 bos, 3. ad informandum perfectos. Unde & hu-
 jusmodi actus, scil. habere loculos in Christo, 1.
 respectu infirmorum fuit condescensivus, ad con-
 solandum eos, qui propriis oculis carere nolunt.
 2. respectu impiorum fuit actus commonitorius pri-
 mo

mò quidem ad refellendum hæreticos, qui loculos reprobant, & detestantur, 2dò Commonitorius fuit ad deterrendum avaros, qui loculos concupiscunt. Quamquam enim ad mitigationem cupiditatis, Dominus Juda loculos commisisset, ipse tamen adeo cupiditatis igne exarsit, ut ipsum Dominum pretio parvo venundaret. 3 respectu verò perfectorum fuit actus informatorius. Siquidem quantum ad modum habendi, forma fuit perfectionis in Ecclesiasticis personis, maxime cœnobitis; ut ad exemplum Christi, & discipulorum ejus, nullus sibi quidquã appropriet, sed habeant omnia communia. Unde August. super Joann. habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conservans, suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Ecclesiastica pecunia forma est instituta; ut intelligeremus quod precipit, non cogitandum de crastino esse, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecunie reservaretur à Sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur. h. i. NB. Hæ auctoritates SS. PP. ad hoc adductæ sunt, ut probent, quòd in possessione & utu pecunie à communitatibus religiosis per se non committatur prævaricatio, cum ipsis suffragetur & necessitas, Christi que exemplum & Sanctorum.

VI. Ut ad materiam Capitis, à qua non nihil digressus, redeam; sciendum est, quòd Religiosi singuli exactè servando Regulas S. paupertatis, eo ipso simul studeant conservationi regularis communitatis: Dum nim. intra terminos religiosæ sufficientiæ utuntur victualibus, & non nisi congruo ac fixo tempore, non exorbitantes, non
gulæ

gula indulgentes, sed necessitati consulentes: item res Monasterii communibus ac privatis usibus deputatis sollicitiori cura custodientes, quam si essent aut esse possent Domini earum, easque deberent magno sumptu & labore procurare; vel ac si essent res sacrae, cultui divino deputatae, & Christo propriae. Hoc enim modo continget, ut sumptibus inutilibus ac superfluis parcat, proinde ex modico diutius communitati provideri queat; quod modicum saepe multiplicat Dei benedictio fecundissima ad solatium servorum suorum, etiam si ex lapidibus necesse foret creare panes ut manducent. *h.i.*

VII. Demum ad sincerum amorem tam sacrae communitatis, quam religiosae paupertatis Regulares omnes extimulare debet vehemens desiderium, ac fidelissima admonitio & exhortatio S. Congregat. Em. DD. Cardinal. in decreto edito 1693. 18. Julii sub moderno SSimo Innocentio XII. his verbis: *Ad extremum eadem S. Congregatio Regulares omnes cuiuscumque ordinis & instituti sint, Sanctitatis suae verbis serio admonet, & in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti filios obedientiae decet, ad Regulae, quam amplexi sunt, praescriptam vitam instituant & componant, decretisque Apostolicis, pro aeterna eorum salute editis sincerè ac fideliter pareant; nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum praetextibus ad excusandas excusationes in peccatis abduci se sinant; sed professionis suae memores, quàm se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum Christiana perfectionis iter arduum*

duum quidem, sed divinae charitatis dulcedine aspersum, abiectis terrenarum rerum curis alacriter prosequantur. Nimis enim turpe esset, eos ad secularia desideria, quibus semel, aspirante Domino, renuntiârunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris nostri sequelam vocatos, qui cum dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum fidelium gloriosos imitatores, ac veluti heredes esse, quorum erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, qua possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: dividebatur autem singulis prout cuique opus erat; ideoque in regularis vite, ac precipue Sanctae paupertatis, qua est parens quadam, generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem sollicitudinem suam projicientes in eum, cuius oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia, centuplum & vitam eternam, propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit. h. i. Ad exactius autem observandum S. Paupertatis Regulam, quos ad hoc non inducere & movere valuit amor virtutis, & obligatio votorū, saltem compellat & stringat timor poenarum, quibus Deus voti paupertatis violatorum punit non tantum in hac, sed & magis in altera vita: de quibus quidem supra actum lib. 3. at hic plura subjicientur. De quibus proinde sit. &c.

CAPUT X.

De horrendis penis Violatorum Sanctæ Paupertatis, in morte, & post mortem; qui in vita plurimum nocent regulari communitati.

I. **A**ffectus cupiditatis ad res quantumvis viles, aut sensualitas ad illas, impedit aut enervat meritum religiosi pauperis: & talis religiosus licet nihil possideat, non tamen propterea pauper dicens est, ait *S. Bonav.* quia *loculos mentis* retinet. Et, ut ait post *S. August. D. Gregorius*, Deus in remunerando renuntiantes sæculo, potius attendit ad affectum, quàm censum, & plus nocet rerum cupiditas, quàm actualis rerum detentivitas, ita loquendo. Id ipsum præclare clare ostendit exemplo *Jo. Diac. in vita cit. Gregorii Magni c. 40.* Nam cum Eremita quidam magnæ virtutis, multorumque annorum, interno desiderio futuræ gloriæ assequendæ, & ejusdem gradus pro nunc agnoscendi piè stimulatus fuisset; cognovit à Domino, se in gloria parum cum *S. Papa Gregorio* remunerationem adepturum. Ille ex hinc suspensus hæsit, considerans, an ergo nil plus meruisset vitæ suæ austeritate & rigida paupertate, quàm magnus ille Pontifex mundo undique circumseptus, mundique honoribus & divitiis sublimis? sed in somnis, docente Patre luminum, meruit vellicantis scrupuli discussione-
nem

nem percipere, cum hac informatione : *Cum divitem non faciat possessio, sed cupido ; cur audes paupertatem tuam divitiis servi mei Gregorii comparare? utpote qui dilectionis sensualitate magis comprobaris illa felē, quam quotidie palpas & fovēs, amare, quā Gregorius divitias omnes, quas cōtinet, negligit, immo pauperibus tam liberaliter distribuit?* His auditis, pressius sensit Eremitæ animus, didicitque subtiliorem esse veræ paupertatis viam & gradum, quā ipse hucusque didicisset. Meritò itaq̄ dixit *Balthasar Alvarez* eximie vir sanctimonie, *Confessarius* inclytus *S. Teresia*: *nemo sibi de illustrationibus sensus, & spiritalibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu hunc bolum evangelicæ paupertatis degluti-*
rit.

II. De religiosis munuscula aliunde oblata recipientibus aut offerentibus in fraudē *S. paupertatis sine licentia*, hæc tradit *Abraham à S. Clara* in *Grammatica Religiosa* serm. de paup. p. 2. Contemnamus omnia à notis seu amicis oblata munera, recogitantes quòd hæc munuscula sint hamus diaboli; quo plurimos religiosos decipit, & illaqueat; cum per similia oblata initio quidem à perfectione religiosa, & fervore animi abstrahat, postmodum eos ad laxitatem emolliat, emolliatosque in varia peccata, præcipuè in sæculi amorem impellat, & tandem infelices ad acharontem præcipites agat. O! si liceret vel ad momentum aures ad portas inferi accommodare; procul dubio, quòd in re ita sit, ipsimet audiremus, cum millenas maledictiones erga similes crudeles be-

nefactores effutire perciperemus. Caveamus itaque ab hisce munusculis tamquam ab aspidē & basilisco, ni salutem nostram magnis periculis exponere velimus, h. i. De quo *Boverius* in *Anal.* Capucin, terribile narrat exemplum. Quidam namque religiosus Ord. *S. Francisci*, cū ab omnibus crederetur vitæ esse laudabilis, in morte constitutus, ad quodvis nihil aliud respondit, quàm: *non est opus Sacramentis, quia damnatus sum.* Geminam suæ damnationis causam aperuit; quarum una erant excusationes; altera, quòd plura munuscula spiritualia absque majorum scitu tam dare quàm accipere fuerit solitus, veritus repulsam, si licentiam petiisset *Alium quoque V. Rosaria* ad infernum detulerunt, quæ clam comparata destinârat cognatis. Et licet ob id conscientiæ stimulis ageretur; nihil tamen umquam significavit confessario, cogitans rem esse admodum levem. Inventa sunt à morte ejus Rosaria hæc in camera genuflexorio abscondita. Exemplum hoc fusiùs recenset *Boverius* ad An. 1570. Eheu! O verè mortaliū infelicissimos! qui etsi in magno rigore vitam traduxerint quoad alia, multū jejunaverint, media nocte surrexerint, orationem prolongarint; nihilominus tamen pro his omnibus austeritatibus nihil meriti receperunt, quoniam hæc aliàs ex se bona opera infecerunt, vitiarunt, mortificaverunt, immo hoc occiderunt hæc illicitæ donationes & acceptiones. Quis igitur sibi ab his non caveat, ne pariter in tale infortunium incidat!

III. *Donationes & receptiones munusculorum furtiva, acriter puniuntur ab Ordinum SS. Fundatoribus.* De quo *Abraham à S. Clara* cit. refert ex *M. S. Ingolt. Soc. Jesu*, quòd *S. Ignatius Loyola* zelosissimus paupertatis amator in hujus violatore statuerit hoc exemplum. Nam Anno 1556. ultimo Maji in Festo SS. Trinitatis jussit *P. Sebastianum Romaum* Rectorem publicam disciplinam facere in medio refectorii per unum *miserere*, & præterea in parva mensa comedere cum solo pane & vino, sequenti verò die etiam nihil comedere, priusquam quosdam orbiculos Sacros (Agnus Dei vocant,) ad ipsum tulisset, eò quòd absque expressa licentia Superioris, quibusdam suæ Societatis Religiosis ejusmodi munuscula distribuisset. O verè ardens divini amoris igne & zelo Ignati! Hanc sui Patris severitatem forte rescians *B. Aloysius*, ne ignominia notam apud eum (tunc jam existentem in cælis) incurreret, tam accuratè hanc paupertatis regulam servabat, ut rogatus ab alio pro papyro, non prius dederit, quàm obtentà à Superiore facultate dandi. Item *Thomas Sanchez* eruditissimum lumen ejusdem Societ. absque facultate nihil dabat aut accipiebat licèt minutissimū, & , ut ipse scribit, nec filum. Et hæc in ipso erat non puerilis aut muliebris scrupulositas, ut aliquis cavillari posset, sed tenera conscientiositas, & paupertatis subtilissima & exactissima observantia. Rursus Ven *Joannes Berchman* ex eadem SS. Societate, ob sanctimoniam laudem quasi Angelus in tetrīs, per totam vitam deplorasse legitur,

quòd aliquando fratri cuidam imaginem dedisset, non impetratâ à Superiore facultate, quem tamen quæsierat, facileque consenturum putarat.

IV. *Pauper Religiosus nil audet de superfluo in mensa, sine licentia dare pauperibus.* Boverius Exemplum adducit in Annal. 1573. Fratri cuidam apparuit Saran sub specie B. V. M. petens panem. Frater errore delusus tempore prandii panem furtivè in manicam injicit (contra communem prohibitionem) finitâque mensâ expectanti phantasmati porrigit. Quo facto Dæmon repente mutatâ formâ hominem pedibus arripuit, & ferè abripuisset, ni unus audito fratris clamore advocasset reliquos; qui fufis ad Deum precibus furtivum eleëmofynarium tandem hosti eripuerunt. *Rursus Religiosus nil clam sibi accipere & abscondere potest, absque conscie ægravamine.* Hinc *S. August.* in Regula furti condemnat eum, qui aliquid celaverit. *In Annal. Capucin. 1589.* in conventu Armariensi in Belgio, Clericus ægrotus de salute desperare cœperat, Guardiano causam roganti dixit, dæmonem adfuisse, & ob scopas, inconsulto superiore occultatas damnatû dixisse; sed Guardianus, re indicata, quietum esse jussit. *Alius itidem ex eodem ordine 1579.* ante visitationem in cella quædam absconderat: & eadem nocte ab alio visus est in inferno pendere de patibulo, habereque de pedibus pendula omnia quæ occultaverat. Quod visum cum deindè occultator intellexisset, vitium correxit.

V. *Inutilis consumptio aut superflua alicujus rei*

contra paupertatem, graviter punitur post hanc vitam. Narrat Boverius 1581. quod Frater Bernardus Sacerdos ex ordine suo moriturus conflictabatur cum Satana. Objiciebat hic ei violatam paupertatem quod plus lini cerati consumpsisset de nocte, quam necessitas exigeret. Interim praesentes Fratres pro salute ipsius recitabant litanias: ipse vero ad singulas sanctorum invocationes nil aliud respondit, quam *tam modicum, tam modicum, tam modicum*, idque cum ingenti stupore mentis. Mirantibus fratribus, & cum ad se rediisset, quaerentibus, quid his verbis voluerit, respondit: ad iudicium stabam, in quo daemon accusator postquam ex omnibus lini frustulis, quae absque necessitate combusseram, ingens volumen composuisset, illud mihi gravissime objecit, & tamquam reum laesae paupertatis coarguit. Non poteram satis mirari tam levia examinari tam rigide: inde erupi in haec verba, *tam modicum. &c. Verè mi Frater, iudicia Dei horrenda sunt, maxime dum de votorum violatione agitur! verè dixit Apostolus: Deus non irridetur, cui vovetur, cui promittitur. Alius graviter in iudicio punitur, eò quod ultima frustula candelae jam ferè combustae abjecerit, sine respectu violatae paupertatis.*

VI. Ex eodem Ordine 1571. P. Otho post mortem amico apparens dixit, se quidem salvum ac beatum, sed post tam rigidum examen, ut Deus iudex etiam de candela in locis communibus ardente examinaverit. Quid fice

propriariis, dum tantilli paupertatis excessus non negliguntur? *Terribilis audi 1603.* Quidam Senex ejusdem ordinis cum post nocturnam synaxim in hieme descenderet in coquinam, ut sese calefaceret, offendit ibi duos ex altero mundo caculas, seu culinaria quasi mancipia, qui prunas ferreis rastris dispergentes parabant locum tertio, qui fratrem verum infixum humeris inferebat in craticula supra prunas torrendum. Horruit senex, & abituriens detentus ab uno est, atque interrogatus, num fratrem nosceret; quo negante, ait ille, hic erat culinæ præfectus, ac non observata lege paupertatis, ligna nimis profusè comburebat. Qua de causa tam diu ex divino judicio ustulandus est hoc loco, donec novissimum quadrantem exsolverit. O! *verè judicia Dei abyssus multa! Quam pauci Religiosi hæc considerant, hæc prævident!*

VII. Non absone proprietatis vitium *S. Benedictus* in Regula appellat nequissimum, *Cassianus* receptaculum vitiorum, malorumque omnium radicem, & inextricabilem nequitiae fomitem. *S. Gregorius Magnus* ait, proprietarium non habere cor Monachi, & ubi locorum hoc vitium se insinuavit, ibi concordiam & charitatem manere non posse. Est autem proprietatis vitium tam subtile malum, ut teste *S. Gregorio Nysseno*, ii, qui in omnia vitia dominium tenuerunt clari virtutibus, huic tamen vitio obviare satis haud potuerint.

quo.

quoniam pluribus involutum excusationum vanissimarum technis est. *Audi terribile exemplum*, quod cit. narrat *Boverius* circa annum 1569. Contigit, ut ex fratribus alterius Ordinis, octo simul ad Capucinos transfirent. Rogati causam dixerunt, Guardianum ipsorum haud ita pridem tam horrenda morte defunctum esse, ut, nisi sibi melius consulere, non immerito similia timerent. Cum enim ex confectis à se flabellis pavonaceis, aliisque curiosis sericis signaculis multum pecuniæ corrasisset, ita tandem foetere cœpit, ut ejus præsentiam nemo tolerare potuerit. Sejunctum ergo cum fratres aliquando inviserent, viderunt capite de lecto miserabiliter pendere, atque à monstrosa fele ad collum graviter lacerari, ac suffocari. Cum fratres in abactione telis se multum fatigarent, ægrotus inquit, *non enim fele, sed cum demone vobis res est*: hoc supplicium mihi vitæ turpitudine, concupiscentia, violata paupertas, ac spreta Regula: observantia peperit. Discite vos meo exemplo meliora: damnatus à Deo ad tartara rapior. Quibus dictis, inter horrendum stridorem, à fele præfocatus emisit animam.

VIII. *Horribilius quiddam evenit cuidam Capucino* (*Boverius* in annual. Anno 1589.) qui allectus alterius Breviario, id clam subtraxit & abscondit, sperans brevi se locum mutaturum, ubi eo absque suspitione uti posset. Qui Breviarium amiserat, Guardianò indicavit, rogans ut fratres

moneret de restitutione. Id quidem factum; sed restitutio non secuta. Unde concitator Guardianus per S. Obedientiam edixit, ut, quicumque breviarium abstulisset, antiquo usu-factario redderet: sed frustraneo eventu. Jam dies declinabat in vesperam, & Sacrista templum clausurus descendebat ad Ecclesiam. Nondum ad fores venerat; & ecce quidam in nigri monachi habitu ingreditur, qui conversus ad sacristam, obsecro te, inquit, tantisper linque apertas fores, donec quod meum est, tollam, & inde efferam. Sacrista miratus nigri advenæ dictum, rem detulit ad Guardianum, secumque duxit ad Ecclesiam; qui, qui conspecto peregrino nigro affectato Monacho, inquit: quid hic loci repetis? & niger ait: est inter tuos, qui quod meum est, possidet; jube omnes adesse, & ostendam. Guardianus accitos omnes personato Monacho proposuit; qui, ut conspexit Breviarii furem, illico unico momento pedibus arreptum per aëra vivum in omnium oculis avexit ad orcum, Breviario de manica excusso. Ita cognitum fuit, quis hic niger, quis fur, & quæ pœna debeatur violatoribus voti paupertatis.

IX. Regulas paupertatis excedentes in construendis monasteriis seu cellis acriter postmodum à divina justitia puniuntur. Narrante Bovero 1554. cum P. Franciscus Astensis 2. dus Capucinorum Generalis Minister Romanam Provinciam visitaret, venit ad quoddam sui Ordinis

Cœnobium, in quo ipsi Cella admodum splendide exstructa, atque ornata pro diversorio assignata est. Peractâ cœnâ, cum Pater in lectulo quiesceret, fores cellæ molliter pulsatae sunt, ac si quis ingressum postularet. Audiit id verbum, & per verbum *Deo gratias* pulsantem admisit; sed nemo intravit. Tandem non semel ingeminato pulsu, dictoque *Deo gratias*, Guardianus exstructor cellæ, ac jam pridem defunctus ingressus est. Bis terve cellam obambulabat in silentio; demum in hæc verba prorupit: *Maledicta cella! propter te solam ad inferos damnatus heu miser abscedo;* his dictis, disparuit.

Alter ejusdem Ordinis 1547. quòd Ecclesiam præter communis paupertatis leges extendere voluerit, damnatus est. *Unus etiam*, quòd cellam sibi splendidiorem exstruxerit, ad tartara raptus est, quamvis hic sub *S. Francisco* in familia laxiore militaverit.

X. Ex his recensitis horrendis exemplis chare Frater facile videre poteris, quàm metuenda sint judicia Dei circa violatores paupertatis voti. NB. *cogita præterea* apud te ipsum, quid, si tu ex his miserrimis Religiosis fuisses unus, & nunc jam infernali incendio æternùm urereris? quare age *Deo gratias*, quòd non posuerit te in exemplar, quò alii tuo damnò meliora saperent; sed quòd posuerit tibi alios ante oculos, quò cautior alienis periculis fias, ac S. paupertatis studiosior. Declina ergo minima, quæ huic voto adversari videntur, & non facile committes majora. Et è con-

trà, ut loquitur Ecclesiasticus 19.1. Si spernis modica, paulatim decides. Quapropter ne tandem cum memoratis infelicissimis Cœnobitis ad tartara decedas, noli cum eis nunc contemnere modica. Et modica non manent, si viam ad laxitatem sensim sternant, si Superiores ea urgeant, & tu interim ex mala consuetudine obmurmures, contemnas, ac quasi indifferentia non cures. *Rogo te per judicem animæ tuæ, ne illum contemnas, ne hanc amittas.*

CAPUT XI.

Proprietarii, inobedientes, laxi, sensuales, & qui sunt sui cerebri, Religiosi, maxime nocent regulari communitati, & graviter in purgatorio punientur, si hic culpas plene non expiarint & emendarint.

I. **P**roducam hic aliquot exempla, quæ ex vita *S. Franciscæ Discalceatissæ* in libro exemplo à se digesto recenset *P. Martinus Cochem* Ord. FF. Min. Capucinorum, qui multos præclaros libros ad pietatis Christi fidelium augmentum, eorumdemq; animarum salutem conscripsit, & typis evulgavit, cum non modico pietatis quæstu, ac devotionis fructu.

Prior quidam ex Provincia Andaluziæ prænobili familiâ oriundus, durante officio Prioratus, cum non liceret sibi intra claustrum vesci carnibus, quæsiuit sæpe occasionem cum certo *Socio* apud suos consanguineos prandendi, & car-

nibus

nibus vescendi (erat enim delicatis assuetus, & plus sibi aliquid licere putabat). Angebat utrumque conscientia; sed hanc putabant se sufficienter emundare, dum invicem hanc transgressionem confiterentur, quamvis sine requisito dolore & proposito. Hic post mortem in terribili specie apparuit *Beata Franciscæ*, dicens: terribile purgatorium sustinere debui propter hanc meam delicositatem; & communis vitæ transgressionem: & , nisi *S. Mater Teresa* mihi à me invocata in extremis succurrisset, ferè in extremis desperassem, ob nimias angustias, quas mihi apparentes dæmones ingerebant. Hic in vita sæpe Prioris functus officio, visusque valde exemplaris vitæ.

II. Anima alterius Carmelitæ eidem apparuit, habens ingens frigidissimumque saxum supra stomachum suum, in pœnam, quòd sine licentia portasset pectorale ex panno pro stomachi debilitate fovenda. *Anima Monialis* apparuit eidem, dicens se in quatuor locis pati purgatorium, scil. in choro, in promptuario, in cella, & post in igneo puteo, propter duplicem culpam, 1. quia pecuniam & ornatum detinebat pro ornanda statua devotæ Matris *Catharina à Christo*; ad hoc licentiam quidem habebat, sed datam sibi, ut condescenderetur ejus fragilitati seu sensualitati, ne, si non concederetur, indignaretur. 2. quia indevotè recitasset Horas Canonicas. O! quàm multæ Moniales eamdem cum hac trahunt lineam! *Anima alterius Monialis* Priorissæ ejusdè Ord. eidem apparuit post 15. annos in purgatorio transactos, ob aliqua ad Monasterium spectantia alienata il-

licitè. Interrogata, an ergo sabbatinum S. Scapularis privilegiū non profuisset eidē; respondit, quòd illud privilegiū si paucis profuit, inde veniat, quia pauci conditiones pręrequisitas implent. *Item* *Animam alterius Monialis laicę* eidē post 10. annorum purgatorium apparuit, petens ejus suffragium pro liberatione. Interrogata, quid maxime in Religiosis displiceret Deo; respondit, quod tribus Deus habeat displicentiam magnam, scilicet 1. in defectu perfectę obedientię, 2. in defectu debitę reverentię Superioribus, 3. nimum indulgendo proprio amori, iudicio proprii cerebri, sensualitati, & proprię opinionis pertinacię. *Item* *per aliam animam* cujusdam olim Priorissę apparuit eidē (quam dicit se vidisse in agone miracula fecisse Pampelonę, ubi fuerat Priorissa) dicens, se graviter torqueri in purgatorio ob duo, 1. quia non exactè servasset Regulas, Constitutiones & mandata Superiorum majorum, 2. quia non satis servavit suas subditas ad earum observantiam adstrinxisset.

III. Eidem in cęmeterio apparuit anima Monialis defunctę, dicens se 17. annis torqueri in purgatorio, ob triplicem causam, 1. quia nimium sensualem amorem habuit ad certam Sororem, propter eam apud Priorissam causavi inquietudinem, 3. propter alios in Ordine commissos defectus, qui mihi pariebant in eodem fastidium. *Item* *Moniales* quoque Sorores quatuor, 1. ut frequentius quã benedictã sepulchra mortuarum aspergant, 2. ut sint ferventiores in obedientia, 3. in paupertatis observantia, 4. in abrenuntiatione proprię voluntatis.

Alia Soror Franciscæ nomine eidem apparuit, dicens, se torqueri adhuc in purgatorio, ob has 3. causas, 1. non vixi in Ordine, ut debui; nam sæpe multa conata fui facere, citra obedientiam, licet non mortaliter peccârim. 2. Cùm essem Priorissa, debilibus nimium condescendi. 3. tempus subinde inutiliter impendi. Post tres menses denudò apparuit, & ferventiùs orare iussit pro redemptione, insuper admonens, ut *Moniales punctuatim communitatis sequerentur exercitia*; quæ non obirent superficialiter, sed cum mentis elevatione ad singula: insuper statas preces horarias ritè exsolverent. *Alia Monialis* post 12. annorum gravem infirmitatem apparuit eidem, referens, quòd punctualissimam in altero mundo oporteat Regulares reddere Deo rationem de occasione neglecta, tempore malè impenso, de gratiæ talento in terram fosso, & de minimis quantumvis hic non curatis. Addebat: *habeto curam exactam obedientiæ, & paupertatis; nam transgressiones horum votorum rigidè in altero mundo puniuntur.* *Eidem apparuit anima* alterius Monialis, dicens, Deum exposcere exactam rationem observatæ vel neglectæ paupertatis religiosæ, ac obedientiæ, & se ob harum transgressionem adhuc puniri, Sed, numquid, aiebat *B. Franciscæ*, quia scrupulosa eras, minus transgressa fuisti; respondit illa: scrupulositas mihi plus nocuit, nam propter eam confessarius mihi nimium condescendit, nolens me contristare; nec eidem exactè parère volui.

IV. *Alia anima Monialis ex Conventu S. Petri*

tri

tri Pampelonæ apparuit eidem, suam ei indicans purgatorii pœnam, dicens se adhuc pati propter levitates, jocos, nugas, garrulitates in sæculo commissa, quæ per Ordinis observantiam necdum essent remissa; eò quia non ritè explevisset, quæ Ordinis erant obligationes. *Alia ex eodem Ordine Monialis* eidem in forma ignea apparuit, dicens se grave purgatorium pati ob duo, 1. quia sententia olfactus nimis indulserat. 2. quia multa superflua in cella habuerat: ora S. Matrem *Teresiam* pro me. At hæc *B. Francisca* oranti pro illa anima apparuit indignabundo & averso vultu, ajens *Meritò hæc tormenta patitur; fuit enim nimis tepida & laxa in observantia Regula & Constitutorum: ideoque non fuit vera filia mea.* Ex nova Castilia apparuit *alia Monialis* ex eodem Ordine, causas sui purgatorii has 2. allegans: 1. quæsi frequenter & nimis sedulò corporales commoditates: 2. delicias in cibis ut gustarem, sæpe meas infirmitates contra veritatem exaggeravi, & servitricibus infirmarum gravamina non necessaria causavi. Jam 30. annis sum in purgatorio. *Nostra S. Mater Teresia mihi maxime adversatur; nam illa post Deum illa est, quæ in judicio se opponit Religiosis tepidis & negligentibus sui Ordinis.* Quæle quid & de *S. P. N. Francisco* legitur in Chronicis nostris; ut jam tum supra memoratum est, prout scribit in vita ejus *S. Bonav. c. 8. n. 2. Fratres, qui Religionum iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam. A te, Domine, inquit, Sanctissime, & à terra caelesti curia, & à me parvulo tuo sint maledicti,*
qui

qui suo malo exemplo confundunt & destruunt,
quod per sanctos Fratres Ordinis huius edificasti, &
edificare non cessas. h. i.

VI. Eidem B. Franciscæ inclusæ ad vacandum
orationi apparuit anima alicujus defuncti Patris,
qui fuit unus ex primis zelatoribus reformationis
vir multæ mortificationis, observantiæ, & pluri-
marum virtutum, qui ideoque putabatur rectâ si-
ne purgatorio ad cælos evolasse; attamen 25. an-
nis purgatorii pœnas sustinuerat, eò quòd nimis
pertinaciter proprio iudicio inhæserit. Petiit pre-
ces pro se, & ut alii Superiores aviserentur, ne in i-
dè vitium inciderent. *Ob eandem causam* alius e-
jusdem Ordinis Religiosus 33. annis pœnas purga-
torii sustinuit, eò quòd propriam sententiam a-
lienæ prætulit semper, quamvis alioquin fuerit
vir multæ mortificationis & pœnitentiæ. Dice-
bat insuper, quòd etiam minimi defectus in purga-
torio rigide puniantur, nisi quis in vita exactè co-
natus fuerit suo statui conformiter vivere. NB. Ad-
debat, quòd multi ex Fratribus & Monialibus sui
Ordinis essent in purgatorio, immo & ipse Pater
Generalis quantumvis eximius zelator reforma-
tionis, quem etiam Deus miraculis illustrarat,
fuiſſet tribus annis in purgatorio. NB. *Quid er-
go fiet Religiosis tepidis? quid dissolutis? quid negle-
ctoribus? quid transgressoribus? si etiam ser-
vantes zelatores ibi districtius exami-
nentur, & tam diu purgentur?*

CAPUT XII.

Plurimum refert ad vitæ regularis communitatem exactè conservandam, si Superiores studeant exactè suo officio in omnibus satisfacere.

NB. *Curandum est autem, ut ille, cui Rectoris officium imponitur, magni sit exempli, magne edificationis, magne etiam mortificationis in omnibus pravis inclinationibus, & in obedientia præcipuè ac humilitate probatus; qui donum discretionis habeat, ad gubernandum idoneus, in rebus agendis versatus, in spiritualibus exercitatus sit; qui severitatem suo tempore & loco cum benignitate miscere noverit; qui sollicitus, qui patiens laborum, qui etiã in literis eruditus sit; & demum ejusmodi, cui confidere Superiores possint. Rectoris officium erit, imprimis oratione ac sancti desiderii totum Collegium velut humeris suis sustinere: deinde curare, ut Constitutiones observentur; omnibus collegialibus cum omni sollicitudine invigilare, eosdemque ab iis quæ nocere possint domi & foris, defendere, tum præveniendò, tum etiam, si quid mali audierit, remedium adhibendò, ut ad singulorum & universale bonum convenit --- firmitatem eorum conservandò -- eos, qui officia gerunt domestica, prudenter constituendò; & quomodo sui fungantur officiis, considerandò &c. p. 4. Constit. Societ. Jesu c. 10.*

I. *Qualiter Superiores seu animarum Pastores ritè officio suo fungi, & obligationi suæ satisfacere debeant, in serm. Domin. 2dæ post Pascha doctrinaliter demonstrat Joannes Taulerius clarissimus & illuminatus Theologus S. Theolog. Doctor*

Doctor ex celeberrimo Ordine Prædicatorum: aitque illos id tunc perfectiùs facturos, si magis exemplum Salvatoris summiq[ue] Pastoris Jesu Christi imitari fuerint conati. Proinde excludit meritò & omnino rejicit illos tamquam ineptos & indignos, qui seip[s]os huic periculosissimo officio ingerunt, vel etiã qui vocati ad illud, aliud sectantur, quærunt, & intendunt, quàm purè Dei gloriam, & animarum salutè. Tales enim omnes mercenarii sunt, & in mille versantur periculis. Qui si exploratum haberent, quantus tremor, quanta eos invadet angustia, cùm districto judici de qualibet anima, & de causis ac negotiis omnibus sibi commissis rationem sunt reddituri, tabescerent fortasse præ dolore corda ipsorum, & plangerent se se noctuque diuque. *h. i. Pergit.*

II. Illi verò, quibus absque eorum sollicitatione ex ordinatione divina (*Omnis enim potestas à D. Deo est, Rom. 13*) tale aliquod officium impositum est, tales se animo benigno ac voluntario exhibere curabunt, ut neque divino honori aliqua per eos injuria fiat, neque ipsi notabiliter deordinentur, & à justitia exorbitent, neque oves demum illis commissæ in aliquo negligentur. Hoc autem, ut dixi, ex animo spontè atque libenter facere debent. Qui enim immoderatiùs subire recusant quod obedientia injungit, molestissimam & gravem sibi reddunt vitam suam; parvum namque opus si animo involuntario fiat, plus gravabit, quàm multa ac magna spontè alacriterque peracta. Interim tamen *laudabile est, nolentem ad officia pertrahi.* Et impendiò prodest, multa in eis adversa

sustinere; & ubi auxilium simul & consilium querendum esset, non nisi dolorem & perplexitatem reportare, vel etiam repulsam pati; & ubi obedientia præstanda foret, rebelles atque contrarios subditos experiri. *h. i.*

III. *Describit onus Prælatorum.* Et revera hac tempestate præesse aliis, & certis ejusmodi officiis fungi, modo iidem dignè velis satisfacere, non ad otium, sed ad negotium immensum vocari est, immo *grandis cruciatus est, & crux pene intolerabilis.* Attamen hanc ipsam crucem, quicumque vocatur à Deo ad eam, in suos recipiet humeros illius amore ac contemplatione, qui propter homines miserabilem olim crucem sustulit, & Patri suo ad mortem usque obediens fuit: animoq; demisso cum perfecta & humili sui resignatione Deo se dedit, subjicietque ad perferendum onus istud, quamdiu aliis placuerit, quibus promptam debet obedientiam: nec aliquod ex sua ineptitudine ac impossibilitate velamen excusationis adducet. Dum enim id quod faciendum est, quantum ipsi constat, meliori modo exequitur, officio suo facit satis, licet alioqui rectius fieri posset. Itaq; Deum potius in omnibus quam aliquod temporale commodum spectabit, hoc diligenter caveas, ne quantum in ipso est, aliqua lædatur ovium in anima sua. *h. i.*

IV. *Conversatio Superioris describitur.* Communis quoque erit & affabilis inimicis æquè ut amicis: hoc enim pacem magnam parit. Juniores quoque cura vigilantiori sub fræno continebit: *Malè siquidem educata juventus totam sæpe congregationem perturbat.* Suaviter serius erit, & potius

ex amore quàm timore præcipiet. Quod vires suas excedit, ad Superiores suos referet. Ubi mordere non licet, saltem latratus quosdam dabit. Si vitam piam & sanctam in subditis suis ex toto perficere non valet, hoc tantum curet, ne deficiat, & ne malitia sub ipso vires sumat & incrementum. Certè si tritam & vetustiore vestem consuere nolis, fieri non potest, quin brevi spatio tota laceretur. *Ubi spiritalia passim eunt, diu corporalia subsistere non valent. Qui modica negligit, paulatim decidit.* Eccli. 19. & corrui in majora. Ante omnia verò subditis suis ubique bona in se ipso præbebit exempla, & potius opere quàm verbo instituet. *h. i.*

V. *Patientia necessaria.* Unum est, quod eum patienter ferre oportebit, hoc est, quòd dum omnem suam diligentiam alicui rei impenderit, totum alii sinistrè interpretentur, & in calumniam vertent; & quibus maximè benefacere studet, ab illis plura gravioraque mala sustineat, quemadmodum & ipsi factum legimus Salvatori. Hæc & similia patienter ferenda sunt; non enim potest quis omnibus æquè placere. Si quis autem omnibus æquè placere voluerit, sæpius Deo & veritati displicebit. *Malorum hominum convitia honoris laus est.* Ad hæc curandum illi erit, ut intra domum suam improbam societatem, & foris noxiam familiaritatem tota virtute dissipet, sive impediat. Qua in re ubi fecerit, quod in ipso est, immunis erit apud Deum. Væ autem congregationi illi, ubi duo hæc defecerint: illa namque primò quidem pace destituetur, dehinc etiam ignominia notam incurret. Sed dicet fortasse aliquis, hoc si facere

voluero, repente mihi odium conciliabo, & fraudabor pace mea. Ad quod ego: *Felix talis perturbatio & molestia, que eternam pacem adducit. Et va illis, qui multa idcirco dissimulant, ut cordis sui pacem habeant integram.* De quibus Jeremias ait c. 6. *Sanabant contritionem populi mei ad ignominiam, dicentes, pax, pax, cum non esset pax.* Tales suam quietem & commoditatem sectantur, honores & dignitates ambiunt, & hæc religiosa honestatis interitu, dum excessus corrigere non audent, ne displiceant, sibi mercantur. *Va illis, qui receperunt mercedem suam.* h. i.

VI. *Recta intentio Superioris.* Bonus verò Pastor sive Prælati pure Dei laudem & gloriam quærit, instar Domini Salvatoris, qui æterni Patris sui, non suam quærebat gloriam, & ideo crucis ignominiam libenter sustinuit. Ex hujus imitatione, quicumque verus est Pastor, quidquid sibi eveniat, non sibi factam queratur injuriam, donec ex graviter sauciari capitis vulneribus sanguis copiosè per faciem defluat, & terram humectet, quemadmodum sanctis Martyribus legimus accidisse. NB. Olim non nisi perfectissimi ac resignatissimi homines ad dignitates & officia trahantur, non autem qui privatis inhiarent lucris & propria venarentur commoda. Unde quod mihi est, id omnibus in quacumque dignitate vel prælatione constitutis do consilii, ut semper in ima sive fundum humilitatis sese demittant, pavitatem nihilque suum ob oculos habeant, omnem superbiam devitent, conditionis suæ attendant fragilitatem, & quàm celeriter ex hac vita sint migraturi. h. i.

VII. *Ad-*

VII. *Modus reprehendendi subditos.* Dum ergo aliquem reprehendere volunt, sese prius reprehendant, & quantum fieri potest, malum studeant vincere in bono; non enim Satanas Satanam expellit: sicque ex corde mansuetio mitia & dura proferant verba; prout res ipsa, & causæ exigere videbuntur. Ante omnia divinam augere ac promovere cultum, id eis vel maximè cordi erit; ita tamen aliis intendet, ut seipsum minimè negligant. --- Hæc tamen non idcirco dixerim, quòd aliquis se ad prælationis onera subeunda (quod heu multum faciunt) debeat se offerre; sed ut, qui ad hæc à Deo vocati sunt, jugum istud æquanimitè ferant, & diligenter faciant, quod in ipsis est, hoc secum cogitantes, quòd, si ista sibi onera non essent imposita, alia fortasse pejora eis accidissent: certi, quòd Dominus Deus, cujus gloriam purè quærunt, quique hæc eis onera imposuit, etiam pro ipsorum maxima salute ad suam gloriam eos dirigere, ac eis providere & velit, & possit. *h. i.*

Officium Prælati duobus punctis breviter describitur, scilicet bene agere, & bene regere, i. *Escl. 4. Una manu opus faciebant, altera gladium tenebant.* De hoc gladio *S. Hieron.* ait: *non est crudelitas, crimina pro Deo punire, sed pietas.* Ex *Pelagius Papa* relatus 23 q. 5. c. quali post, ait: *nec quiquam majus est, unde Deo sacrificium possitis offerre, quàm si id ordinetis, ut hi, qui in suam & aliorum perniciem debachantur, competentem vigorem compesci.* *h. i.* Ad illos tamen, sicut & ad omnes paternum habeant Superiores animum, tam corporum, quàm animarum curam habentes; ut possint

sint in veritate dicere, quod dixit quidam Abbas
 Eremitæ Thebaid: *Sacco tegimur, sed probè textus ut
 sit, requiro: leguminibus vescimur, sed cum diligen-
 tia condiantur. -- ne primogenitos crucis inconsul-
 tis jejuniis, aut erummosa nuditate cruciemus ---
 vestiti psalmos decantabunt: cibo refecti opus faci-
 ent; recreati crucem complectentur: Et si nos illis
 optimi Patres fuerimus, ipsi sibi caelestes fient tyranni.*
 h. i.

VIII. Reformationem Ordinis attentantes gra-
 vem persecutionem patientur. Patet id in S. Carolo
 Archiepiscopo Mediolanensi; qui cum renovare
 tentasset Religionem Fratrum Humiliatorum
 (quorum auctoritate Apostolica Protector erat)
 & scandalosam libertatem pristina Regularum
 observatione constringere; quatuor ex præfatis
 Fratribus ceterorum Capita, qui diligebant ma-
 gis tenebras quam lucem, & reformationem op-
 pidò averfabantur, nec tamen subterfugere propter
 vehementissimum zelum & auctoritatem Prote-
 ctoris poterant, in necem illius perfidissimè ita
 conspirarunt, ut unus eorum Hieronymus Farina
 Presbyter, 40. argenteis subarratus, cædis se mini-
 strum fore polliceretur. Is igitur à Dæmone velut
 alter Judas ductus & instigatus, anno 1566. 26. O-
 ctobris, sub primam noctis horam, cum pro con-
 suetudine precibus vacantem D. Carolum in Ar-
 chiepiscopali Oratorio comperisset; musicis can-
 tantibus verba evangelii: *Non turbetur cor vestrum,
 neque formidet;* quatuor cubitorum ferè interval-
 lo distans, bombardam duorum & semi-palmarum
 bene oneratam globo & minutioribus glandulis
 in

in eum displosit, sic ut globus impeteret medium dorsum, exterarum pilularum aliquæ vestimenta ipsius penetrarent ad carnem usque, aliæ tabulam ligneam crassitie unius digiti, quædam oppositum murum notabilibus rupturis offenderent. Ad hæc, circumstantes ocyus erigi, expallescere, trepidare: solus *Carolus*, qui duritiem globi expertus fuerat, genibus curvatis absque ullo timoris indicio conquievit. Quia tamen vehementia ictus eum non nihilo versus altare protruserat, ne occisus putaretur, complicatis manibus sustulit semel caput in cælum, & simul ceterorum sedatis animis inchoatâ orationem situ corporis immobili consummavit. Postmodum ad cubile reversus deprehendit Rochetum quidem à globo infectum esse, velut etiam cetera vestimenta, minimè tamen perforata. In dorso interim apparebat lividus tumor à globo inflictus, qui in terram quasi reverenter ad pedes *Caroli* cecidit, absq; eo quòd vel minimam cruoris guttulam excussisset. Perstitit deinde hoc vestigium ad fidem rei, donec defungeretur *Carolus*. Et Doct. medici & quotquot locum globo tactum contemplati sunt, statim inauditum casum pro certo & manifesto miraculo habendum ac divulgandum censuerunt; quod idem iudicium fuit Ducis *Albuquerque* Gubernatoris *Mediolanensis* in edicto publico, quod eadem nocte ad comprehendendum sacrilegum parricidam affixerat: nec incassum; captus quippe cum sociis sceleris, pœnam capitalem luit. Et *Pius V.* Religionem illorû, partim odio infandi criminis, partim quia impossibile videbatur eam redigere

ad instituti sui primævam observationem, extin-
xit. Ita verbo-tenus habetur in historia vite,

CAPUT XIII.

*Superiorum paterna, at contemperata condescensio
ad subditos, est medium conservans regula-
rem vita communitatem.*

I. SI Superiores nimis affabiles & familiares suis
se subditis faciant, se viles & contemptibiles
in eorum mente se faciunt: si è contra nimis duros
in omnibus sese exhibeant, charitatem & confiden-
tiam eorū ad se impediunt: & illos involuntarios
sentiunt, dum ad mendicandum, conquerendum,
aut laborandum eos emittere volunt. Utrumque
impedit vitæ communis sociabilem stabilitatem;
itaque temperamentum debet esse, extremorum
exclusivum, & mediū observativum. Si Superior
humili quadam animi benignitate animos suorū
lucrari potuerit, libentiùs ad vitam communem
amplectendam se resolvent: & si charitatis man-
suetudinem ostenderint erga illos, magis eos fa-
cient sibi devinctos, trahetque ad omnem volun-
tatem suam, si secundum divinam regulata fue-
rit. At in his omnibus studebit medium virtutis
attingere; prout supra insinuavimus. Alioquin
infelici omine eveniet, quod S. Aug. 2. civit. 16.
prædixit: *Si lex iubens adsit, & Spiritus juvans desit,
etiam reatus prævaricationis accedit.* id est, si Su-
perior velit leges multas subditis imponere, nec
tamen spiritu paternæ pietatis illos adjuvare; &
sibi, & subditis occasio seu causa erit peccati.

II. Com

II. *Condescensio* illa debet esse contemperata taliter, qualiter præscribit *S. Gregor.* l. 1. *Registr.* epist. 24. *Sic servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis; ne, dum Prælatus quisque plus se quam decet, dejicit, subditorum vitam restringere disciplina vinculo non possit.* Hinc illa caveat, quæ contemptum pariunt, ex quo relaxatur vis gubernandi. De quo *S. Chrisost.* homil. 13. *In his quidem quæ ad se pertinent, se contemnatur, sanè constantissimè ferat; ita enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur: verum in his, quæ aliorum tangunt salutem, contemptui non pateat; id quippe non mansuetudinis est, sed stultitia.* Præterea cum non omnia omnibus, nec omni tempore expediant, ut dicit *Ecclesiast.* 37. 31. potius obesset, quam prodesset aliquorum humoribus, quorum sensus & cogitatio prona sunt ad malum ab adolescentia sua; quique non possunt uti condescensione superiorum; sed potius cederet eis in occasionem laxioris vitæ, eversionem disciplinæ, ac materiam scandali: Et in quibus proinde verificaretur, quod dicitur *Prov.* 29. 21. *Qui delicate à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* insuper *Prov.* 14. 12. *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Ex hoc enim sæpe inordinationes & relaxationes reprehensibiles irrepsert in Ordines religiosos, quæ postea in pessimos degenerarunt abusus & corruptelas. Faterur quidem *D. Thom.* quòd si naturæ subditorum tractabiliore sint, & eis expedire videatur, Superior debeat vel possit se ac-

commodare sententiæ D. Pauli Theſſal. Facili sumus parvuli in medio vestri, tamquam si nutrix foveat filios suos: & inquit Angelicus Doctor tamquam nutrix, qua scilicet condescendit infanti, balbutiendo ei loquens, ut puer loqui discat; & in gestibus ei etiam condescendit: omnibus omnia factus sum &c. Si autem Superior nimia condescensione usus fuerit, prima quidem fronte conciliabit sibi animos talium subditorum, maxime si ad laxitatem proniores fuerint; & eas, qui religiosiores fuerint, sibi aversos faciet, immo in fine omnes sentiet contra se querelas effutientes corde indignabundo. Quod agnovit Climacus de officio Pastoris sic loquens: Qui verò secundum apparentiam in benignitate, & condescensione talibus indulgentiam donat, in tempore exitus facit se miserabiliter maledici, sicut qui eos magis seduxit, & non profectus utilitatem fecit.

III. Ubi autem Prælati bono exemplo, doctrinâ, oratione, & possibili accuratione conati sunt satisfacere cunctis officiorum suorum partibus, Deus eorum conatibus aderit, dans provectum & effectum illum, qui divinæ placuerit providentiæ, ad communitati adſistendum, cujus ipse Pater erit, & provisor, & gubernator, & conservator. Proinde ipse expleti & contenti esse possunt (ut loquitur *Alfonsus à JESU MARIA* disc. 13. consil. ult.) tali enim modo perfecere, quod Deus ab ipsis requirit, ac divinæ gessere morem voluntati, quæ omnis veræ consolationis, animique expletionis fons, & origo est. Nec ipsos moveat, aut ægrè habeat, quod in sua communi-

tate cernere debeat nonnullos imperfectos, & remisso fervore enerviter viventes, qui ex regimine ipsorum eum, quem optarunt, non hauriunt animæ suæ fructum, immo præter hos etiam reperiantur in eadem communitate, qui facile conquerantur, eumque affligant. conturbent, & persequantur. *Necesse est enim, ut veniant scandala*, Matth. 18. 7. Quid mirum? in parva communitate, cujus Prælatus fuit ipse Christus, unus fuit nequam & diabolus, & tamen ab ipso toleratus. Absit; ut propter hoc despondeat animum, immo potius amplius animum erigat, perque confidentiam in Deo roboret; quamvis in aëre arasse, aut supra petram seminasse sibi videatur: Deus enim etiam petram in terram optimam convertere tandem potest. *Habentes igitur talem fidem, multa fiducia utimur*, 2. Cor. 3. 12.

IV. *Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostendere sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promissiones*. Hebr. 6, 11. Hoc proinde est, quod Salvator noster (teste S. J. Chrysostr.) sub parabola Satoris docere nos voluit, ut, attentò eò, quod divinus fator fecit & quotidie facit, ad idem præstandum nobis animum adderet, prout patet ex his ejus verbis in Matth. cit. à D. Thom. in incat. aur. *Per hanc parabolam discipulos erudit, etsi plures audientium eos fuerint qui pereunt, ut non propter hoc desides sint: quia nec propter hoc Dominus, qui omnia prævidit, destitit à seminando*. Tales Prælati sciant, quòd impensò non frustran-

di sint labore, quamvis omnibus adhibitis mediis nihil proficiant. Immo (ut ait cit. auctor) e contra, si in his cum moderatione debita indefessi sint occupationibus, tum Deus faciet ipsis favores speciales & non absimiles illis, quales Deus fecit Moyfi, dum conat⁹ fuit populum murmurantē per desertum deducere, pro iisque orare, ipsiq; quo poterat modo providere cum premerentur fame & siti: is parum profecit in duræ cervicis populo; & tamen in omni virtute, & maximè in Dei amicitia profecit plurimùm.

V. Interim Superiores quicumque S. Bernardi saluberrimo monito se conformare studeant, qui inquit in sentent. *Vigilant illi super gregem, propter tria, videl. ad disciplinam, ad custodiam ad preces: ad disciplinam, propter morum correctionem; ad custodiam, propter diabolicam suggestionem; ad preces, propter tentationum instantiam: In disciplina rigor est justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece effectus compassionis. h. i:*



CAPUT XIV.

Labor corporalis, mendicatio, & ad alios mendicantes miseratio, sunt medium conducens ad regularem vita communitatem conservandum.

I. *[Labor corporalis (qui tamen non est omnium) est medium maximè proportionatum ad hoc, ut religiosi in communi vivere possint; quia videl. per eum acquiruntur necessaria vitæ subsidia. Quem & verbo & exemplo suo sæpe recommendat S. Paulus Apostolus: Summopere dilexit, suisque fratribus mandavit S. P. N. Franciscus; qui maluit ut ex labore, quàm ex continua mendicatione (si fieri posset) fratres victitarent, propter tres causas, 1. quia præceptum divinum est, homini prævaricatori & pœnitentiam acturo datum: in sudore vultus tui vesceris pane tuo. 2. ne nimis obruerent homines. 3. ne alios pauperes forte plùs egentes defraudarentur, utpote quib⁹ deperiret id, quòd jam his fuisset datum. Idem S. P. N: hæc de labore præcipit in Regula c. 5. Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita, quòd excluso otio anima inimico, sancta orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede verò laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant &c. De labore*

re

re hæc dicit in testamento suo, quod, insignitus
 sacris stigmatibus, Spiritu S. plenus prope finem
 vitæ suæ nobis reliquit. *Ego manibus meis labo-
 rabam: & volo laborare: & omnes alii fratres mei
 firmiter volo quòd laborent de laboritio quod perti-
 net ad honestatem. Et qui nesciunt, addiscant, non
 propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed
 propter bonum exemplum, & ad repellendum otio-
 sitatem h. i.* Et de eo S. Bonav. in vita ejus c. 5. v.
 5. sic inquit: *Otium autem omnium malarum co-
 gitationum sentinam docebat summopere fugien-
 dum: exemplò demonstrans, rebellem carnem &
 pigram disciplinæ continuis, & fructuosis laboribus
 esse domandam. Unde corpus suum fratrem as-
 num appellabat, tamquam laboriosis supponendum
 oneribus, crebris cadendum flagellis, & vili pabula,
 sustentandum, Si quem verò cernebat otiosum & va-
 gum, aliorum velle manducare labores, fratrem
 muscam nominandum censebat, eò quòd talis nihil
 boni faciens, sed benefactæ inficiens, vilem & abo-
 minabilem se omnibus reddat. Propter quod di-
 xit aliquando: volo fratres meos laborare. & ex-
 ercitari; ne otio dediti, per illicita corde & lingua
 vagentur. h. i.*

II. De labore manuali sequentia in Regula sua
 præscribit S. Benedictus c. 48. *Si autem necessitas
 loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges collige-
 das per se occupentur, non contristentur: quia tunc
 verè monachi sunt, si labore manuum suarum vi-
 vant; Sicut & Patres nostri & Apostoli. Om-
 nia tamen mensurate fiant, propter pusillanimes.*
Ante omnia sanè deputentur unus aut duo senior-

res, qui circumeant monasterium, horis quibus vacant Fratres lectioni, & videant, ne forte inveniantur frater acediosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit -- Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari aut legere, injungatur ei opus quod faciat, & non vacet. Fratribus infirmis vel delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia operis opprimantur, ut effugentur. Quorum inbecillitas ab Abbate consideranda est. h. i.

III. De labore hoc præcipitur in magno Regulario in Regula cujusdam Magistri §. 12. Monachos semper oportet laborare, & sine sollicitudine vitam suam transigere. Omnia quaecumque laboraverint, excepto pane exiguo, & vestimento, pauperibus distribuant. Cura pauperum semper facienda est; & omnia nostra cum charitate fiant, & sine charitate infructosa sunt opera nostra ante Deum. Et §. 14. hæc discernit. Non magne perecurandum est, quo modo unusquisque laboret, sed quomodo unusquisque vivat. Quomodo res, & ratio, & situs loci unicuique permiserit, semper laborandum est, & lex Dei, qua, sive visibilia sive invisibilia continet, observanda est. h. i. Et in majori Regulario Respondit Dominus per Magistrum. Omnis homo in vita seculi hujus tribus rebus excitatur, laborat, & studet; peregrinus in via, miles in pugna, Imperator in palatio, agricolam in agro, mercenarius in negotio, omnes excitantur & laborant, ut habeant, dum vivunt, unde vesti-

vesti-

vestiantur, calcientur, & vivant. Sed quibus Dominus servitii sui contulit donum, & ostendit eis non satis de presenti saeculo cogitare, quia haec omnia pertranseunt, & omnia ista quae videmus & vivimus, paucorum in nobis dierum sunt usus, & momentanea cum vite nostra tempore transeunt. h. i.

IV. Alii quoque Ordinum fundatores Religiosis suis manuale laboritium ad corporis exercitium præceperunt. *S. Bernardus* amator ipse laboris manualis, quamvis corpore esset debilis & tenellus, laborem exigit à Monachis, tamquam opus pœnitentiæ, & humiliationis: unde in speculo monachorum jubet ita per diem fatigari laboribus, ut *lassus veniat ad stratum*. Sed in hoc magna discretio adhibenda est ab eis, maxime qui deputati sunt divino officio noctuque diuque in choro persolvendo, & literariis insuper occupationibus incumbere debent. Ad has & illas spiritus fit promptior (ut experientia docet) per manualementem laborem moderatum, aliudve corporis exercitium, v.g. itinerationem modicam, ludum aliqualem Membra externa occupantem &c. at per nimium opprimitur, aut impeditur, & hinc fit ineptior. Porro *Cartusienfes* nullum ad habitum admittunt, nisi is habeat animum, ut possit, ad corporis exercitium, spiritûsque fomentum & erectionem, certo aliquo manuali labore se occupare. *Ratio Congua est*; quia homo mortalis, communiter non est aptus, nec sufficiens arcum semper habere intentum & intentum spiritualibus ac cœlestibus, nisi placida interruptione

corporalem & quietem & occupationem, exci-
tetur, animetur, roboretur, & nonnihil pausa-
re sinatur.

De labore hoc decernitur p. 3. constit. Soc. Je-
su c. 2. *Ut non expedit, tanto labore corporali
quemquam onerari, ut spiritus obruatur, & corpus
detrimentum patiatur; ita aliqua corporalis exer-
citatio, quæ utrumque juvet, omnibus communiter
convenit, etiã illis qui mentalibus exercitiis debent
insistere; quæ quidem externis interrumpi deberent,
& non continuari, nec sine mensura discretionis
assumi. h. i. Et p. 10. Moderatio laborum animi
& corporis, & in Constitutionibus, quæ ad neutrum
extremum rigoris vel dissolutionis vergant (ut sic
melius observari possint) mediocritas conferet ad
durationem, & totius corporis in suo statu conser-
vationem. h. i. Et p. 3. c. 1. Omnes quamdiu cor-
pore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus
rebus habeant, in quo occupentur. Et qui officium
vel ministerium aliquod certum habent, ut de au-
xilio providendum est eis si sit necessarium; ita cum
vacant, aliis rebus occupari deberent; ne otium ma-
lorum omnium origo, quoad ejus fieri possit, domi
nostra locum habeat. h. i.*

V. In labore præbuit exemplum *D. Paulus 1.*
*Theff. 2. Nolite & die laborantes, ne quem vestrum
gravaremus, utique in acquirendo necessarium
victum & amictum. De qua procuratione dicit
S. August. de serm. Dom. in monte, exponens il-
lud, Nolite solliciti esse &c. & dicit: Satis apparet,
Dominum nostrum non hoc improbare, si quis hu-
mano modo illa procuret; sed si quis propter ista Deo
militet.*

militet. h. i. De quo S. Bonav. in Regul. c. 5. docet: Sciendum, quod omne genus hominum ad ali- quod exercitii genus utile, pro loco & tempore obli- gatur praeceptorie, ut dicitur in Genesi c. 3. In sudo- re vultus tui vesceris pane tuo; unde qui ad majora apti non sunt, praecepto Apostoli labore sunt corpo- reo exercendi. Dicit enim ipse: *audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil ope- rantes, sed curiosè agentes (2. Thessal. 3.) his au- tem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus &c. impium est autem, illud, quod otiosis & curiosis dicitur, velle ad alios extendere, qui sublimioribus, & utiliori- bus sunt intenti.* h. i. De quibus in sequenti Capite.

VI. In labore corporali meritò computatur mendicatio, seu *questuatio*, quæ sicut corpori est satis operosa, onerosa, molesta, ac fastidiosa, u- tinam & spiritui mendicantium foret semper pa- riter meritoria & fructuosa! attamen hoc si non fiat, est ex particularium vitio seu defectu mendi- cantium. Huic mendicationi meritò applicati gaudent Guardiani verbum S. P. N. *Fratres illi, quibus Dominus dedit gratiam mendicandi, men- dicent fideliter & devotè &c.* prout suprâ. Super quæ verba S. Bonav. lc. inquit: *in hac gratia la- borandi intelligo vires corporis, & habitum artium acq̃uisitum, ac habilitatem, etiam artem acq̃u- rendi. Laborent fideliter respectu sui & proximi, & devotè respectu Dei, ut scil labor ipse in gloriâ Dei dirigatur. De cujusmodi autem laboris genere lo- quatur, patet ex rationibus laboris, quæ sunt tres, scil. exclusio otiositatis, inflammatio devotionis, ad- aptio etiam sustentationis necessaria corporalis.* h. i.

Ut autem molestum hoc & valde onerosum mendicandi per civitates & pagos onus, Fratribus fieret portatu suavius & acceptius, spe lucri (non corporalis solum, quod in pingui eleemosyna putant consistere) spiritualis eos animarunt Summi Pontifices, inter quos, Urbanus VIII. Fratribus pro amore Dei quæstantibus 40. dierum indulgentiam liberaliter concessere. Tales autem Quæstores seu Terminarios, ut vocant, ornent multæ virtutes, quibus allekti sæculares libentius erogent eis eleemosynas. Insint eis exemplaritas, devotio, morum compositio, vultus verecundia, laborum patientia, obsequendi omnibus promptitudo, humilis reverensque ad omnes subjectio, morum comitas, sobrietas, vigilantia, amor pro sua Religione, & animi gratitudo, mansuetudo in verbis ac moribus, abstinentia, & fervor &c. de quibus fufius agere non est propositi mei. Absint autem eis nimia loquacitas, scurilitas, tenuentia, indevotio, tepor, somnolentia, otiositas, ingratitude, irreverentia, irresignatio, inobedientia, capotitas, impatientia, ira, murmuratio, acedia. Diligenter custodiant linguam suam, oculos, aures, manus, & cor. Imitentur S. Paulum, *Omnibus omnia factus sum*. Ex proposito non sint bajuli literarum aut rumorum incertorum. Attamen obsequia charitatis & gratitudinis non prohibentur eis. Sequantur exemplum Fr. *Felicis Capucini*, qui jubebat habere rosarium in manu, oculos fixos in terram, cor erectum in cælum. Monitum S. P. N. *Francisci* audiant & sequantur, qui Fratribus per obedientiam à se emissis hæc instructionis dabat

verba, ad cordis cautelam, consolationem,
& munimentum. *Estote, aiebat, in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, & in beneficiis grati: quia pro his omnibus regnum vobis preparatur aeternum.* h. i. Scio quòd insuper Guardiani in suis terminariis, ut sint magis proficui conventui, & grati, requirant aliquam naturalem eloquentiam, & amicam affabilitatem, per quam possint se omnium moribus, occasionibus insinuare, contemperare, corda & aures hominum emollire (nam non omnes dant eleëmofynam purè propter Deum) hæc dona non sunt contemnenda; interim his prævalet, si sacerdos Terminarius exemplari vita, concione apta, fervore in animarum lucro, Sacramentorumque sibi licita dispensatione affectum & manum lucretur benefactorum. Insuper superbiam evitent ubique, cedant, & deferant libenter aliis; nam *cedere majori bene stat pro Fratre Minori.*

VII. Ne autem Benefactores indignè ferant Religiosorum mendicantium quæstuationem, aut molestiâ, vel tædio afficiantur; dignentur audire, quæ ad ipsorum informationem, & nostram consolationem loquitur S. Bonat. circa Regulam S. P. N. q. 8. *Plures modò mendicantes sunt in Ecclesia de diversis ordinibus: & quod nobis solum dabatur integrum, nunc minutatim dividitur in plures; unde cogimur nunc latius tantò vagari, quò minus in locis* fm.

singulis datur nobis. Quod enim aliquando offerēbatur nobis non quarentibus, nunc vix per diversa minutatim colligimus cum rubore. Et oportet nos petere; quia non petentibus parum datur, dum ex multitudine petentium homines sunt lassati. Qui autem per se nihil habent, necesse est, eos omnia quibus indigent, ab aliis postulare, vel carere; nisi velint illicite acquirere, vel quocunque modo apud alios deservire; vel nisi gratis eis donetur. h. i.

VIII. De mendicatione hac religiosi & licita & meritoria hæc dicit Laurent. de Peyrinis Genuens. supram. cit. Tom. 1. q. 1. c. 24. §. 1. in object. 6. Nec per hoc damno questuaciones; nam per ipsas datur crebrius devotis amicis, & fidelibus occasio eleemosynas faciendi, & consequenter merendi. Et questuarii Fratres etiam ipsi multum merentur, & obedientiam faciendo &, quod maximum duco, eleemosynas petendo: nam non levi mercede emit, qui precatur, ut ait Apuleius. Et Seneca l. 2. de beneficiis c. 1. nulla res carius emitur, quam qua precibus emptæ est. h. i.

IX. Cùm autem dicat Evangelium: quod vultis, ut faciant vobes homines, & vos facite illis. Hinc, sicuti Religiosi mendicantes læti vident manus aliorum in suis sibi necessitatibus extentas; manus proprias ad alios mendicantes, dum possibilitas adest, non ser-

vent contractas : imitantes in hoc exemplum S. P. *Francisci*, De quo S. *Bonav.* in vita c. 8. Pauperum amator *Franciscus* clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquecebat animus ejus ad pauperes & infirmos : & quibus non poterat manum, exhibebat affectum -- Dicebat enim: dum pauperem vides O Frater, speculum tibi proponitur Domini, & pauperis Matris ejus: in infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera. Cùmque in pauperibus cunctis & ipse christianissimus pauper effigiem Christi profficeret; si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat, verùm etiam ac si illorum propria essent, judicabat esse reddenda. h. i. De eodem adhuc sæculari existente scribit idem S. *Bonavent.* c. 1. vitæ. Pauperibus mendicantibus non solum sua, verùm etiam se ipsum cupiebat impendere: aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens, ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat & piè, præcipuè in ornamentis Altaris; quò & cultus divini particeps fieret, & cultorum inopie supplementa præberet. h. i. Ex hac miseratione sua tantum hoc unum lucratus est dives in paupertate *Franciscus*, quòd suæ paupertatis horreum, seu, ut melius dicam, divina providentia gazophylacium erga hunc paupertatis amatorem, & pauperculam familiam ejus, numquam absumat,

matur, numquam exhauriatur, sed, instar putei
aquarum viventium, semper saliat, numquam
exsiccat. Pro qua gratia continua Grex pau-
perum religiosorum non habet, quod Deo
retribuatur, nisi continuum Deo gratias in omni
oratione & operatione sua.

CAPUT XV.

*Labor Literarius est etiam congruum medium
ad conservandum religiosorum communitatem,
seu vitam communem. Status Re-
ligiosus non facile mutan-
dus.*

I. DE hoc loquitur S. Bonav. in c. 5. Regulae:
voluit ergo S. Franciscus summè Fratribus
imponi exercitium, quod perfectissimè excludit
otium, quod summè nutrit devotionis affectum,
quod laudabili modo NB. corpori necessaria
subministrat. Labor autem corporalis etsi ex-
cludat otium à corpore, tamen pro tanto ad modi-
cum utilis est, quia à corde sordes & otium non
excludit; sicut patet in mechanicis, qui inter labo-
res corporales solent turpissimos sermones eructare.
Studium verò sapientia ipsum cor occupat. Unde
in Prov. c. 23. dicitur: Fili praebe mihi cor tuum;
& Sapientia c. 8. labores hujus magnas habent vir-
tutes. Ideo dicit: excluso otio animæ inimi-
co. In Eccles. dicitur c. 33. multam malitiam

docuit otiositas. Hieron. ad Eustochium: ten-
 as firmissimè, quòd omnis concupiscentia & im-
 munditia & peccati mater est otiositas. Item la-
 bor ipse sapientia excitat summa devotionis affe-
 ctum. Unde Sapient. c. 8. immortalitatis mater
 est incogitatione sapientia, & amicitia illius dele-
 ctatio bona, & in operibus manuum illius honestas
 sine defectione. Ideo addit ut sancte orationis, &
 devotionis spiritum non extinguant. h. i. & sub-
 dit, quæ ad rem faciunt plurimum.

II. Modus autem laudabilissimus corpo-
 ri necessaria acquirendi est & in predicatiomi-
 bus, & doctrina laboribus exerceri. Labor e-
 nim mechanicus condignè circa pretia compen-
 satur: non est autem digna compensatio receptio
 corporalium spiritualia seminanti. Unde S. Pau-
 lus I. cor. 9. si vobis spiritualia seminamus, non est
 magnum, si carnalia vestra metamus. Ideo ad-
 dit: de mercede verò laboris corporis necessaria
 recipiant. Dignus est enim operarius mercede
 sua. Hoc Apostolis existentibus predicatoribus
 dictum est; quia Prelati illo tempore nondum e-
 rant. Et, ut dicit August. l. de opere Monach. c.
 6. quatuor generibus hominum licet de evangelio
 vivere, scil. ministris Altaris, qui sacrificium of-
 ferunt pro populo, eidem divina cantica decanta-
 do, item dispensatoribus sacramentorum, ac Evan-
 gelistis, ac illis, qui ante conversionem suam habue-
 rant sufficienter unde vivere poterant: quod paupe-
 ribus erogaverunt. h. i.

III. Quòd autem labor literarius longè præferendus sit labori corporali, idem Seraphicus Doctor docet lc. dicens. Unde ipse Dominus uniuersæ perfectionis exemplar numquam legitur aliquo laboris genere laborasse, sciens, quòd licet Paulus, qui habuit spiritum in plenitudine, & sapientiam sine studii labore, stipendiariè laborauerit: non potest tamen hoc communiter fieri ab his, qui circa procurandam salutem hominum sunt solliciti vitâ & verbo, sine huius sollicitudinis detrimento. Præterea labor sapientiæ simpliciter est melior corporeo labore, quamvis in casu possit labor stipendiarius esse necessarius prædicanti. Dominus igitur, quod simpliciter est prædicanti melius, eligens, non laborauit stipendiariè, ne Doctores non laborantes arguerentur, vel labore tali impedirentur. Unde nec Paulus ubique sed alicubi laborauit. Quia igitur quidam Fratrum gratiam habent laborandi spiritualiter, quidam verò corporaliter tantum, omnibus dans regulam generalem, ut unusquisque gratia sibi data utatur, dicit: Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam &c. h. i.

IV. De causa excusante receptionem loculorum, ita scribit idem Seraph. Doctor in expositione Regulæ c. 4. Qui igitur tantum pro aliis habent loculos, ad hoc auctoritate Ecclesiæ compulsi, & si quantum in se est, optent pro se carere loculis, ad se autem seruantes distributionem paupertatis, ut patitur infirmitas, dum sint in alios affluentes; sic non habentur loculi in doctrina præiudicium, vel impedimentum; sed eos habent sine omni imperfe-

Etione: quia conveniunt cum Christo in habendo, & in habendiratione. h. i.

V. Merces autem laboris literarii, & cuiuscumque alterius (quæ licitè recipitur, juxta verbum S. P. N. *Francisci*) in commune commodū conferatur, prout & S. *Augustinus* in sua jubet *Regula*, *nemo sibi aliquid operetur*. Et S. *Bern.* *Epist.* 42. *bona oblivio, si te ipsum nescias, ut proximo profis*. Et l. 3. *imit.* c. 54. §. 2. *Natura pro suo comodo laborat, & quid lucri sibi ex alio proveniat, attendit. Gratia autem non quod sibi utile & commodum sit, sed quod multis proficiat, magis confiderat.* -- Et §. 4. *natura cupida est, & libentius accipit, quàm donat: amat propria & privata. Gratia autē pia est & communis, vitat singularia, contentatur paucis, beatus judicat dare quàm accipere* -- Et §. 5. *Natura totum agit propter lucrum & commodum proprium, nihil gratis facere potest, sed aut equale, aut melius, aut laudem vel favorem pro benefactis consequi sperat.* h. i. Talem se opere exhibuit S. *Bern.* de quo in vita ejus prope finem: *Ita sese omnium fecerat servum, ac sitis genitus orbi: ita tamen liber ex omnibus conscientia sua curam gerens, tamquam soli deditus cura & custodia cordis sui.* h. i. Et ipse S. *Bernardus* in vita S. *Malachiae* *serm.* ita totus suus, & totus omnium erat, ut nec caritas à custodia sui, nec proprietatis ab utilitate communi eum impedire, vel retardare in aliquo videretur. h. i.

VI. Cùm sciam subinde nonnullos Religiosos angere, & stimulari (nesciunt, à quò spiritu) inquietante sollicitudine, & desiderio transeundi ad alia Reli-

Religionem, eò quod suam minùs perfectam, aut deformatam, aut vitæ communis regulas, non exactè servantē opinentur, aut sciant: hos si Spiritus S. trahat (prout sæpe evênit) ego nolo retrahere; at tamen, si id perspectum non habeant, credant S. Bonaventuræ, quòd inter imperfectos possit quis sanctiùs vivere, sicut & Noë, & Lot inter peccatores, à quibus non inficiebantur; sed accumulabant merita sua, opponendo se impiis, & non communicando operibus eorum malis, patienter sufferendo exempla mala; & inde evenientem vilipensionem suæ Religionis. Qui flante vento, imbre irrigate, conservat ardentem lucem, felicior est. Quod alii non faciunt communiter, potest quis nihilominus in privato facere: difficultas operis, & raritas ejus erit causa mercedis amplioris. Audiatur desuper consilium L. Peyrinis Ic. §. 2. ubi ad quæst. *an laudabile sit de una Religione transire ad aliam*, inquit: *Dicendum est, transire de una Religione ad aliam, nisi propter evidentem necessitatem, non esse laudabile.* Ita D. Thom. 2. 2. q. 189. a. 8. Primò, quia dicit Apost. 1. Cor. 7. *ut unusquisque permaneat in vocatione, qua vocatus est.* Secundò, ob scandalum illorum, quos relinquit. 3. tiò, quia faciliùs quis proficit in Religione, quam consuevit, quam in illa, quam non consuevit. Ait enim Cassianus collat. 14. c. 5. *unicuique utile est secundum propositum, quod elegit, ut summo studio & diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet, & nequaquam à sua, quam elegit semel, professione discedat.* h. i. Quartò, quia ait S. Bern. de præc. & disp. prope finem: *fortè vult ali-*
quis

quis de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese
 stringere paupertatem eligens pra illis nim. consue-
 tudinibus magis Regula puritate: si me consulit, non
 consulo, si non sanè id Abbatis sui usurparit assensu.
 1. propter scandalum ipsorum, quos deserit. 2. quia
 certa pro dubiis relinquere tutum non est. 3. suspi-
 cionem habeo levitatem, qua id saepe quod facile vo-
 lumus, antequam probemus, experti jam nolumus,
 uno propè momento id ipsum & cupientes & respuen-
 tes tam leviter quàm & irrationabiliter. Quales
 utique non paucos frequenter experimur, qui una
 vix horâ in una voluntate durantes, aurâ levitatis
 impulsî, vagi, & instabiles hac & illac velut ebrii
 nutant, mutantque pro experimento iudicium:
 Immo sine iudicio fluctuantes & tumultuantes, tot
 de se consilia sumunt, quot loca revisunt, semper
 quod non habent, cupientes, & quod habent,
 fastidientes. h. i. Et verè maximum est levitatis &
 instabilitatis, ne dicam, ingratitude indicium,
 priorem Matrem, cuius ubera succta sunt, deserere;
 cum praesertim nulla sit tam relaxata Religio NB.
 qua viros multos exemplari vita, religiosi moribus
 & sanctitate refertos non nutriat, ut experientia
 constat. Non nego tamen, quòd una plures, quàm
 alia, aliat. Sed hoc nihil facit; nam decet Religio-
 sum exempla perfectionis non à multis, sed ab uno
 vel paucis expetere, ut optimè Cassian. l. 4. de instit.
 renunt. c. 40. Ad quod, ait, ut valeas pervenire, ex-
 empla tibi sint imitationis ac vita perfectæ in con-
 gregatione commoranti, à paucis, immo ab uno
 vel duobus, non à pluribus expetenda. Nam praeter
 id, quòd examinata vita & ad purum excoctata re-
 peritur

peritur in paucis, etiam istud ex hoc utilitatis accedit, quod ad perfectionem propositi hujus, id est, cœnobialis vite, diligentius quis unius imbuatur ac formatur exemplo. h. i. Cùm ergo nullus sit Conventus, qui unum saltem Religiosum non nutriat vite exemplaris; plus proficiet, si voluerit, quis hujus exemplo in sua Religione, quàm si transierit ad aliam, in qua multi tales reperiantur. Hucusque cit. L. de Peyrinis.

VII. Ut autem ad laborem literarium redeamus, à quo digressi sumus; hic subjiciam, quæ de eo in nostris *Constit. Urban. inc. 5. Regula tit. 1.* decernuntur: ut omnis otii occasio à Religione tollatur, decernitur, ut, cùm non omnes apti, vel etiam necessarii sint ad studia litterarum; Prælati omnes & singuli, ad quos spectaverit, quos ad studia pronos, idoneosque noverint, consilio, gratia, industria, ac omni opera foveant, quò aptius, utiliùsque iis incumbere possint. Alios verò ad rem literariam minùs accommodatos otio torpere nullò pacto permittant; sed ut præsertim conscientia casibus operam navent, aut si manualibus exercitiis apti fuerint, aliquam addiscant, seu quam didicerint, exerceant artem, sedulò curent. *Ibidem tit. 7.* Præcipimus, firmiterque mandamus, ut Fratres nostri, quantum fieri potest, studiis insudantes, opera ad majorem Dei gloriam, S. Matris Ecclesie exaltationem, Religionisque decorem in lucem edere studeant, & quàm maximè nitantur. h. i. Ad hunc laborem literarium conatur desidem quemque excitare Reverendiss. P. N. Generalis *Jacobus Bagnacabal-*
ensis

lensis in epist. Pastoralis de reformat. studiorum,
hic Coloniae 1619. per typum publicata 6. Janua-
rii, in qua sic inquit: *Majores tui non tot, tantis-
que affluebant, sicut tu, rerum commoditatibus,
ipsi tamen quot, quantosque pro communis vita ob-
servantia in vinea Domini perpeffi sunt labores; su-
stinnere incommoda? -- Tu autem eos pratergressus
es annos, quibus tot Superiores & Majores tui pra-
claros, & saluberrimos aborum suorum fructus pub-
lico cunctis gentibus declararunt testimonio, neque
nullum quidem coepisti adhuc moliri illustre opus vi-
ro religioso & sapiente dignum: sed jucunde vivis,
& letos agis, nullam te afficiente curam, dies & annos.
In utramque dormis aurem, & somno consopitus,
quinimmo consepultus jaces, otio, torpore, & negli-
gentiis tabefactus, filius a paterna tot illustrium
Majorum tuorum virtute nimium degenerans,
germen infrugiferum fecundissima planta. Prime-
va etate laborasti paululum, quoniam aut ab ali-
quo urgebaris, qui curam tui gerebat, aut quia de-
ceptus quodam ambitu uncule fumo, qui te ad im-
moderatam alicujus mundani honoris libidinem tra-
hebat. h. i. Et infra: Si a pompam & fastum con-
cupieris Doctoratum, ut nempe ceteris tuis Co-
fratribus preferaris, ut a laboribus cessando, ocium
secteris; ut hoc nomine dignatus, tuo jugiter sumas
obsequium animo, ut ad tui nativi, vel alterius
Conventus commodis & bonis utendum te recipias,
rem perniciosam & damnabilem moliris, & non
leviter peccas. -- immo Superiores cum te inutilentem
& nullius frugis factum animadvertant, indignum
te & ab eo amotum declarare debent. h. i. NB.*

Idem supponit ibidem, juramentum de vitæ communis observantia suo tempore præstari debuisse à FF. Minor. Conventual. dum à Reverendiss. P. Generali Ordinis laurea Doctoratûs donatur. *h. i.*

VIII. *Queres incidenter*, ratione laboris manualis & literarii; in quibus bona Religio cognoscatur, & una melior altera judicetur. *Respondet* Doctor Seraph. in determin. qq. circa Regulam S. P. N. Francisci q. 18. his formalibus. *Sape in uno & in aliquibus præcellit unus Ordo alterum*, ut iste in labore, alter in silentio, alius in abstinentia, & in similibus. *Sed generaliter in istis agnoscitur, quis sit melior.* 1. *Si in studio omnis virtutis communiter persone illius Ordinis ferventiùs & frequentius exercentur, maximè charitatis & humilitatis, & interne devotionis; est signum bonum præcellentie, & perfectionis.* 2. *Si omnia vitia & scandala odio habent, & sollicitè cavent, & occasiones peccatorum amputant, & extirpant, & munditiam diligunt, & conservant.* 3. *Si boni apud illos diliguntur, & foventur, & despectis aliis, in regimine animarum soli assumuntur, & per eos maximè gubernatur Ordo. Qui negligit modica, paulatim decidet, Eccl. 19.* 4. *Si à seculari frequentia se subtrahunt, & honores fugiunt, divitias non ambiunt, & conformari huic saculo tam in moribus quàm factis, seu qualibet apparentia erubescunt.* 5. *Si damnum & injurias illatas, ac despectiones tacite sufferunt; nec per querimonias vindicare se cupiunt, sed Deum omnium inspectorem attendunt, qui suos cum vult, potest defendere. Cum verò expedire eis noverit, permittit eos pro altiori premio tribu-*

tribu-

tribulari, & patienter ferunt, donec placuerit Deo aliter ordinare. Quae ista signa plenius habent, Religiones meliores sunt; & quae minus, sunt minus bona; & quae nihil, nihil sunt. Qui etiam singulariter in se habet, bonus est, etiamsi alii communiter non habent. Hucusque Doctoris Seraphici litera.

IX. Præ labore literario, adhuc immediatior est (quamvis ad illum aliquammodo reduci possit, ac debeat, ne ille sterilis, & infructuosus sit) labor spiritualis, pro Dei providentia, Benefactorumque mortalium benevolentia sibi concilianda. Non quidem quasi hic ob temporale lucrum sit primario peragendus (is enim Ordo plane peruersus est) sed, quia, dum Religiosi illò sollicitè occupantur, pro Dei gloria, & animarum salute, Deus vicissim sollicitudine paterna (ut ita loquar) providet, ut corporibus simul & animabus eorum necessariae suppetant provisiones: *Dignus est enim, ait ipse, operarius mercede sua.* Talis labor consistit in missis celebrandis cum debita devotione, intentione, corporisque compositione: in concionando, catechizando, sacramenta administrando: Templis, Altariis, Oratoriis, & loca orationi deputata ornando, mundando, & decenter conservando: opera misericordiae & corporalia & spiritualia libenter, ex animo, & cum gaudio, proximis quantumvis personis alioquin contemptibilibus præstando: specialem devotionem ad sacratiss. Christi Domini passionem, agoniam, Vulnere quinq. sacra, aut mortem; item ad Beatissimam V. Mariam, aliosque SS. Patros, & in propriis Ecclesiis, & extra apud rurico-

las & simplices promovendo : & animarum tam
 propriarum , quàm alienarum lucro nihil præpo-
 nendo , juventutem in scholis erudiendo &c. De
 hoc fusius agere non est mei propositi pro nunc ,
 ne liber hic extra materiam propositã vegetur. A-
 pud hos autem cùm major charitas inveniatur ,
 majorque perfectio (cùm illa sit vinculum perfe-
 ctionis) etiam major inter ipsosmet Religiosos e-
 rit *unitas* , & *in unitate communitas*. Si enim tales
 exerceant opera charitatis & misericordiæ ex pu-
 rissima intentione erga proximos externos , quan-
 tò magis erga inquilinos , scil. suos Confratres ?
 Experientia quotidiana in Religiosis talibus pro-
 bat hujus meæ assertionis veritatem. Illi autem
 Religiosi , qui continuò pro laboribus spiritali-
 bus exigunt , urgent , intendunt , anxieque exspe-
 ctant , aut per modũ contractus præexcipiunt re-
 tributionem corporalem sollicitã avaritiã , ste-
 rili ac frigida charitate , hi quia viles habentur co-
 ram Deo & hominibus , ut supra cit. *S. Bonav.*
 dicit , hinc non inveniunt , quod quærebant , sed
 sæpe in corpore & spiritu manent miserè
 pauperes , sordidè inopes , involun-
 tariè egentes.



Otium ab omnibus fugiendum, ut vita communis à Regularibus possit commodius & firmitus conservari.

I. QUANTUM obsit otium S. Communitati introducendæ aut conservandæ, satis dixit R. dms P. N. Generalis Jacobus Bagnacaball. Idem inquit: Quoniam quæ in nostra Religione negligentia & otium inolevit, omnem pariter induxit solutioris vitæ luxuriam; & causa est potissima, quare multi aliquando Conventus ea commoditate carent. NB. Per quam vitæ communis observantia sustentatur: quoniam multi in hac Religione (quod bonorum veniã dictum sit) negligentes & otiosi frugesunt, qui de communi vivere præsumunt, & laborare pro communi recusant. Quamobrem ut unumquemque eorum ab hoc otiositate & negligentia lethargo excuscitem, quò ad subeundum pro communi utilitate laborem magis se comparet, exemplum de formicâ unâ cum sapiente proponam, & minutiæ huius animalis in coacervandis ad communis commodum gravis diligentiam admirando, erubescat, & confundatur. Unde ad formicam, Oberger & c. Prov. 6. Istud quidem satis bellè adaptari videtur cuique laborem cum vitæ communis observantia subterfugienti.---- Cogitatis quid quid unicuique vestrum agendum sit, cum præceptorem & ducem (licet immerentem, & peccatorem) habeatis, qui divina fructus ope, obnixè conatur, ut vitæ communis, & disci-

disciplina regularis ad congruentem, & quam de-
 cer, exactam revocentur obedientiam; quique pa-
 terno nititur affectu, unumquemque ad hanc vi-
 vendi Apostolicam rationem & formam excitare.
 Usquequò piger dormis? quando consurges è somno
 tuo. Nonnulli reperiuntur, qui operam literis, &
 Predicationibus per quã studiosè navant: Cùm au-
 tem de vita communis observantia inducenda, &
 de congregando pro communi Fratrum necessitate
 sermo fiat; temerè & imprudenter os aperiunt, in-
 dictam observantiam invehendo, & jactitantes di-
 cendo: quis est, qui hujus vita communis institu-
 tum complecti velit? absit, quòd ego laborem, alter
 verò meis laboribus & industriis edaciter sature-
 tur. Manifestissimè constat hujus generis Religio-
 sos esse utique scientia inflatos, & quid sit sapientia,
 ignorare. In quibus scientia reperitur, qua inflat;
 cùm se excellentes S. Theologiae Magistros existi-
 ment, & peritissimos Regentes, Lectores aut Con-
 tionatores haberi inaniter gloriantur. Ab eis, sine
 dubio, quàm longissimè vera scientia consors chari-
 tas abest. h. i.

II. Religiosos otiosos, S. P. N. Francisc. non imme-
 ritò appellavit muscas, utpote sibi inutiles, Deo o-
 dibiles, religioni nocivos, confratribus suis onero-
 sos, comunitatis turbatores, proximisq; ingratos.
 De his quoniam dicit S. August. Utinam qui o-
 tiantur manibus, otiarentur & linguis! certum est,
 quod nulli Religiosi ita S. Communit. impediant,
 inquietent, turbent, ad irregularitatē & disordi-
 nem ducant sicut illi. Proinde quidam ex anti-
 quis Monachis dicebat non ineptè: Utilior est

*in Monasterio porcus, quam Monachus otiosus; nam is manducando, & otuando proficit & sibi & Monasterio; hic autem manducando & otuando Monasterio suo officit, & in nullo proficit nisi in vitiis quotidie, fitque ex terræ pondere inutili quotidie inutilius. Quantum autem officiat S. communitati tum quoad charitatis unitatem, tum quoad victualium facultatem, ostendetur hic & ex S. Scriptura, ex dictis, & sententiis SS. Patrum, Ordinumque Fundatorum; ex hac intentione, quam tangit Apost. 2. Thessal. 3. 12. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent.* h. i. *Qui amat otium, numquàm prosperabitur.* S. Ephrem.*

III. *Otium* malam parit filiam, scil. miseram egestatem, quæ nullos invenit compatientes, multos potius justos irrisores. De qua Prov. 28. *II. Qui operatur terram, satiabitur panibus; qui sectatur otium, replebitur egestate, & quidem quadruplici, scil. in bonis temporalibus, in bonis famæ, in bonis gratiæ, in bonis gloriæ.* Item Prov. 10. 4. *Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium divitias parat.* Hinc, qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stritit in aestate, filius confusionis. ibid. v. 5. S. Paulus de seiplo ad Thessalon. 2. 3. 7. *Scitis, quoniam nos inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore ac fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravare-*

mit.

mus. In quæ verba S. Chrysoſt. *Deus poſuit hominem ad laborandum, artusque eius ad hoc effinxit; ideoque otioſus ab Ordine ſuo, & creatione deficit.* Et ſicut primum hominem poſuit in paradifo, quantumvis adhuc in ſtatu innocentiaæ exiſtente, ut operaretur, & cuſtodiret illum (ne utiquam permittendo otium, niſi vellet incautiùs & citiùs à ſerpente decipi.) Ita poſuit Religioſum in clauſtro ut in paradifo, ut operaretur ibi congruenter vocationi ſuaë, & cuſtodiret gradum Ordinis ſui, non dehoneſtando per otium, nec fruſtrando Dei intentionem, quantum in ſe eſt.

IV. Detestabile, & Conventui exitiale eſt, ſi *Monachi velint otari.* Ad quod avertendum, Monachi antiqui in Ægypto, teſte S. Hieron. nullum abſque operis labore ſuſcipiebant, non tam propter victùs neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne mens pernicioſis cogitationibus vagetur. Hinc graviter arguendi hi otioſi, Monasterioque nocivi Monachi: nam, ſi (teſte S. Bern. ſerm. de Purif. B. V. M.) *arguantur otioſitatis ipſi etiam, quos nemo conduxit; qui jam conducti ſunt (quales ſunt omnes Religioſi) ſi otioſi inventi fuerint, quid merentur?* Idem merentur, quod ſervus pigritans domi; de quo S. Chryſoſt. in epiſt. ad Ephes. *Si ſervum habes non rapacem, non ebrioſum, non contumacem, ſed ſubrium, moderatum, vitii omnis expertem; idem tamen ſi totos dies domi ſedeat otioſus, omittatque ea, quæ ad munus ſuū attingunt, nonne graviter vapulabit? atqui nihil mali fecit; ſed ſatis malefici eſt, munus ſuum officiumque neglexiſſe. h. i.* Tales itaque pigros ſervos, otioſos

Na 3

Mo

Monachos seriò exhortatur, ac exstimulat S. Hieron. epist. 4. *Facito aliquid operis, ut diabolus te semper inveniatur occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de evangelio vivendi, laborabant manibus suis, ne quem gravarent; & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in usus tuos cessura non prepares? h. i.* Insuper quia otiosus nullum commune bonum quærit, hinc nulli officio idoneus est. Proinde in Constit. Piis in c. 10. Regulæ mandabatur, ut *Ministri in promovendis Fratribus ad aliquem gradum vel officium, in omnibus publicæ utilitati, & ornamento consulant. Praferantur verò, qui publico commo Conventuum & locorum, non suæ utilitati incumbunt, h. i.* Quæ lex erat rationabilissima; & proinde adhuc ligat in conscientia, quia est innovata, immo est juris natura.

V. *Monachus otiosus scætet vitiis, quæ inquinant & defædant S. communitatem.* De quo S. August. serm. 16. *Per hanc otiositatem accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasti, per hanc suffocamur pretiosè vestiti, per hanc ad superfluum dationem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur. Numquam quis civis calorum erit, si otiositatem amaverit. h. i.* Et quidam apud Engelgrav. plura in otiositate vitia de- & reprehendit dicens: *Otium est natura pudor, sentina familiarum, hostis artium, Magister ignorantia, pater inopiarum, curarum prodromus, memoria sitis, non ingenuitas, pestis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitia*

virtutis exilium, vitiorum hospitium, Angelorum labor, demonum presidium, anima proditor, terra probrum, celi dolor, numinis odium, hominis vivi sepulchrum, mortui barathrum. h. i. Et S. Bern. ad Fratres de monte Dei: Omnium tentationum, & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors anime. h. i. NB. Inter 12. principales abusus in statu religioso ponit Hugo cit. à Dionys. Cartus. l. de scholaribus etiam otium, dum inquit: Praefectus negligens, juvenis otiosus, Monachus curialis, habitus Monachi pretiosus, rumor in claustris, dissolutio in choro, discipulus inobediens, senex obstinatus, Monachus caustidicus, cibus exquisitus, lis in Capitulo, irreverentia circa altare, descendant, disordinant, & evertunt Monasteria.

VI. Otiosus Monachus dum consumit, quod alius acquirit, instar tinea, muris, & aranea nocet S. communitati; cui numquam proficiet. De quo Cassian. l. 10. de instit. renunt. c. 6. Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quam de escis & ventre, donec inventa quandoque sodalitate cuiusdam viri aut femina equali tepore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus involvatur; & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tamquam serpentinis spiris obstrictus, numquam deinceps ad perfectionem professionis suae se valeat enodare. h. i. Hac de causa S. Bernardus Abbas, ne inter nocivos mures computaretur, & ne Fratres suos contristaret, sed potius bona exempla daret, dum Fratres suos labore corporali exerceri videret, ne se quidem excipi voluit: & si quidem membrum te-

nerior communem cum aliis laborem sustinere non valeret, alio sibi commensurando labore compensabat. *S. Chrysof.* otiosum comparat terræ non subactæ aratro; quæ in seipsa silvescit, tribulos, spinasque producit, Domino suo inutilis est. Ita &c. At qui operatur terram suam, satiabitur panibus, *Prov. 12. 11.* Qui autem sectatur otium, stultissimus est. Quam stultitiam sic explicat *Card. Turrecremata: Stultus est otiosus, quia non declinat vitanda, stultior quia non desiderat appetenda, nec colligit merita; stultissimus, quia cumulat, & thesaurizat sibi aterna supplicia. h. i.*

VII. *Otiosus Monachus* committit ingratitude scandalosam, & injustitiam contra *S. Communitatem*. In primis *S. Th. 2. 2. q. 187. a. 4.* ait. *si verò aliqui sunt religiosi, qui absque necessitate & utilitate, quam afferant, velint otiosi de elemosynis vivere, hoc est eis illicitum.* Quòd sit pessima ingratitude, patet; quia à *S. communitate* habet pastum, vestitum, honorem, & media Deo serviendi &c. cui tamen nil rependit nisi onus. Hunc & hujus similes durè increpat *Hugo Card. in Matth. vobis nihil proficientes, proximis non subvenientes, Deo non servientes, hostibus non resistentes, poenitentiam non agentes, in posterum non providentes.* *Thomas à JESU* in explicat. *Regule B. Alberti* ait injustitiam à tali committi; quod cum aliis sic ostendit: quia in professione fit quidam contractus inter Religionem, & Religiosum; ut scilicet illa hunc vestiatur, alatur; hic vicissim Deo serviat, & laboret in functione sua. Immo & talis injustitia videtur

videtur committi contra ipsum dotatorem Monasterii; cuius intentionem defraudat monachus otiosus, si omittat opera, ob quæ dotator legavit possessiones & prædia. Hoc quidem hic Theologicè non definitio, at, sive ingratus tantum, sive insuper injustus, improbitatis & malitiæ reus est. Certè (ut inquit *Nigrorius* Tr. II. c. 2. incit. 2.) defraudat eleëmofynarum datorem spe ac beneficio bonorum operum, quorum sperabat, & expectabat se participem futurum: cùm probi religiosi eas accipiant animo gratificandi largitoribus earum, per hanc bonarum actionum participationem. Huiusmodi religiosi aptissimè fucis comparantur, qui sunt apes degeneres, & otiosæ, furtimque mella devorant, quæ non collegerunt: atque ab examinibus ob ignaviam ex apiario per vim expelluntur, juxta illud: *Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.* In hos quoque invehitur *Cyrillus Alexandr.* in serm. ad Monachos: *Consultissimum est, inquit, operari, ne aliis sis oneri, alienos sudores in privatam tuam utilitatem convertens; cùm possis tuis laboribus subvenire iis, qui ex Fratribus sunt infirmiores.*

VIII. Otiosus Monachus inquietat S. communitatis membra. De quo *Cassian.* l. 10. c. 8. expendens ea verba Apostoli. 2. Thessal. 3. 7. *Quoniam non inquieti fuimus inter vos, quibus otium significari putat, sic ait: Cùm se vult inquietum inter eos non fuisse, per operis exercitiũ comprobare, eos qui operari nolunt, abundè notet otiositatis vitio inquietos semper existere.* Et subdit: *Quã fiducia otiosis manibus gratis panem comedere au-*

bimus, quem vas Electionis evangelica solitudine
 & predicatione constrictus, sine opere manuum com-
 medere non praesumit? h. i. Hac de causa B. Aegi-
 dius tertius S. Francisci Socius otiosos ferre non
 potuit; quos suo exemplō confundebat, humeros
 suos, & manus semper occupans vilibus oneribus
 & operibus vel ad Fratrum servitium, vel ad aliorum
 pauperum obsequium: hinc panem numquam gra-
 tis manducare volebat, nec foris, nec intra Clau-
 strum, nisi aliquali labore lucratus fuisset. Et quid
 mirum est, si otiositas odiosa sit hominibus, quae
 tam inimica est anima ut ait S. Benedicte, in Re-
 gul. Et Blosius in can. vit. spirit. *Otium omnium
 malorum parentem, certissimumque animarum
 exitium perhorresce.* Hanc spiritualis paupertatis
 initium vocat Jacobus Alvarus de Paz. Homo o-
 tiosus & presenti, & futura vita se privat, nec sibi,
 nec aliis utilis: B. Aegidius cit. Regula PP. Car-
 melit. c. 13. *Faciendum est vobis aliquid operis, ut
 semper vos diabolus inveniat occupatos; ne ex oti-
 ositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas
 vestras valeat invenire.* Habetis ad hoc B. Pauli
 Apostoli magisterium, pariter & exemplum, in cu-
 jus ore Christus loquebatur &c. h. i.

IX. Otium diabolo pandit viam, ut S. Com-
 munitatem disuniat, dispergat. S. Bern. serm. 4.
 ad Sor. *Numquam sis otiosa; quia otium inimicum
 est anima.* Diabolus citò decipit eum, quem
 otiosum inveniet. Diabolus quotidie in claustra
 intrat; & si aliquem inveniat otiosum, statim ac-
 cusat. Per otium diabolus seminat omne malum
 inter membra S. Communitatis. De quo Auctor
 serm.

ferm. ad FF. in Eremo ferm. 17. ita inquit disertè :
Per otiositatem, Fratres, rigorem sancta solitaria religionis fastidimus : per hanc eremum saepe exire tentamur : per hanc accendimur frequenter ad luxuriam : per hanc animamur ad superbiam : per hanc ducimur ad mundi gloriam : per hanc tentamur delicatè pasci : per hanc suffocamur pretiosè vestiri : per hanc ad superfluam dormitionem trahimur : per hanc ad secularia verba ducimur libenter audire. Hac est illa otiositas pessima, qua frequenter Sanctorum Conventus destruit, pariens in eis luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans inter eos zizania, generans inter eos homicidia, & omnia que sunt opera carnis. Fuge ergo otiositatem ; quia in servis Dei nihil pejus reperitur. h. i.
Quocirca Trithemius reformati Monasterii Abbas homil. 16. tales otiosos Monachos seriò & vehementer adhortatur : *O Monachi, non solum quotidie, sed omni hora atque momento contra hanc bestiam vigilandum est : quoniam admissa in cor numquam sola ingreditur, sed eam tota congeries & scaturigo omnium vitiorum comitatur. h. i.*

X. Otiosus Monachus perdit in se omne bonum, per quod communitas sacra promoveri possit. Quod ostendit Cardinalis Joannes à Turcremata in Regul S. Bened. Excacat intellectum : virtutes anime & potentias debilitat : ingenium hebetat : affectum anime corrumpit : est inimica virtutum, bonorum omnium acquiritorum consumptiva : hominem pauperem facit & egenum : parit anime ignominiosa peccata : animam reddit dignam

gnam

gnam maledictione: spoliat animam futura gloria.
 h. i. Et Alfonsus Salmeron explicans parabolam
 de operariis otiosis missis in vineam. *Inde desideria
 mala, egestas, latrocinia, rapina, spectacula, detra-
 ctiones, ludus, scortationes, omnia denique peccata
 ortum habent.* h. i. S. Gregorius Papa explicans
 illud Thren. 1.7. *Viderunt eam hostes, & derise-
 runt Sabbata ejus, inquit, Hostes ergo sabbata vi-
 dentes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacati-
 nis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut
 naqueque reprobata anima, quò remotior ab exte-
 nis actionibus servire Deo creditur, eò magis eorum
 tyrannidi, illicita cogitando famuletur.* h. i. Ger-
 son, post S. Anselmum comparat cor otiosi Mo-
 lendino, dicens: *Non est aliqua cogitatio tam im-
 pis, tam abominabilis, mala & execranda, quam
 non inueniat detestanda otiositas. Nam cor va-
 cantis otio est ad instar molendini, quod cum non
 habeat ad molendum bonum frumentum, quia in
 continuo motu est, molit & consumit seipsum etiam
 usque ad totalem sui consumptionem, aut destru-
 ctionem, nisi prohibeatur alicujus diligentia. Et
 equè citò molit ad volantes foedas muscas, sicut gra-
 norum electorum adipem.* h. i. Cum ergo otiosus
 seipsum consumat, & inutilem reddat, eo ipso
 communitati plurimum nocet. Unde & otium
 numeratur inter peccata Sodomorum: Ezech.
 16. 49. *Ecce haec fuit iniquitas Sodoma Sororis tuae,
 superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium
 ipsius, & filiarum ejus.* Plura de otii malis effecti-
 bus, ejusque remediis vide fusè apud Nigro-
 nium.

XI. Cùm ergo tam multa, tam gravia, tam nociva in S. Communitate causet mala otium; Omnes Religionum Fundatores illud summè oderunt, suisque Religiosis inhibuerunt: & etiamnum omnes Religiones bene institutæ illud detestantur: aqua enim stagnans seu otiosa, quæ non currit, non labitur, non movetur, hæc facilè putrescit; ita & Monachus otiosus, foetensque malum de se odorem emittit, quo nocet & suæ communitati, & fidelium universitati, & impedit fructum aliorum Confratrum suorum in animis externorum, qui plùs interdum scandalizantur ex uno malo, quàm ædificentur ex aliis bonis; Hinc Superiores nostri sollicitam curam gerere tenentur, ne ullatenus quemquam ex suis patiantur otiosi: quæ cura in tantum ab ipsis cordi est sumenda, quantum salus communitatis, & animarum omnium sibi concreditarum. Meminerint, quod dictum fuit in nostris Constit. Piis editis Bononiæ 1565. in cap. 10. Regulæ: *Superiores vocat B. P. N. Franciscus ministros & servos aliorum Fratrum, ut sciant se non esse Dominos, neque habere dominium super subditos, ut Domini temporales; sed ideo constitutos esse super alios, ut eorum utilitati & saluti inservire debeant: præsertim enim nostra sunt potius officia, quàm dignitates. h. i.* Itaque officium illorum est, ut contineant alios in officiis suis, & impositis occupationibus, & nullatenus otiosi sinant.

XII. Otiositate Monachi inhabilitantur, vel potius destruuntur potentia ejus, ne quidquam fructuosè operari possit pro bono suæ communitatis

tatis

tatis. Hic *mnam suam repositam tenet in sudario*, Luc. 19. 20. per quod sudarium Euthymius moraliter intelligit *otium, segnitiam, inutilitatem*. Quæ qui sectatur, merito de se verificari patitur dictum illud Prov. 21. 25. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiscit & desiderat*. Hinc suos Monachos ab hoc vitio sibi cavendum admonet Trythemius hom. 6. *Consistens in cella tua semper otium caveto; quoniam nihil ita vires mentis enervat omnes, sicut otium, postquam ex se produxit acediam*. Turrecrem. ait: *Emollit otium vires, sicut rubigo ferrum*. Et Seneca: *Non videtur, ut immota fax torpeat, at exagitata reddat ignes? mollit vires otium: ferrum situ carpitur, & rubiginem ducit*. Et S. Hieron. *Otium quasi quedam ingenii rubigo est*. Et Cassiodorus: *Natura humana sicut laboribus instruitur, ita per otia torpescit infatuatur*. Et S. Chrysostr. id per conglobatas similitudines amplius ostendit dicens: *Uter equus utilis; is qui in deliciis, an qui exercetur? utra navis; ea que navigat, an que in littore manet? utra aqua; eam que fluit, an que stat? utrum ferrum; quod movetur, an quo nemo utitur? nonne illud quidem splendet, atque argento simile est; hoc autem rubigine consumitur, & ubique inutile est, ac etiam aliquid sua nature amittens*. Tale quiddam fit etiam in anima otiosa: *rubigo enim quedam apprehendit illam, & consumit splendorem, atque alia omnia*. Id ipsum versu hoc breviter confirmat Ovidius: *Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?* Etenim, ait D. Chrysostr. cit.

cit. *Et oculus, & os, & venter, & unumquodque membrorum, nisi quod suum est, operetur, in extremum incidit morbum.* -- Corpus quod otiosum quidem & immobile, magis morbis obnoxium & foedum: quod autem movetur & laborat, & arumnis exercetur, formosius est ac sanius. h. i. Infero ex his: ergo otiosus Monachus est communitati inutilis & nocivus.

XIII. *Otiosi Monachi* justa pœna est repentina & inevitabilis egestatis miseria; de qua jam dictum ab initio Cap. De hoc Prov. 6. 11. *Veniet tibi quasi viator egestas: & pauperies quasi vir armatus.* Prov. 24. 34. Quem locum S. Hieron. explanans, paupertatem & ab otio pigritiaque nutriti, & pœnam esse docet his verbis: egestas & pauperies pœna est ultima, in qua damnati nihil divitiarum merentur: quæ quasi viator veniet, quia improvisa & subitanea: quasi vir armatus, quia devinci perpetuò non potest. Patet juxta litteram, quia pigritia est nutritrix egestatis. h. i.

XIV. Itaque sicut otium *Monachi* displicet Deo & Sanctis, mereturque meritò derelictionem ab ipsis; ita è contra labor salutaris placet illis, mereturque duplicem ab illis benedictionem. Quod agnovit S. *Arsenius*, qui, postquam diu in Monasterio vixisset, rogatus, in quo maximè confideret; in eo, respondit, *Quod homines fugi, quod tacui, quod flevi; at in eo potissimum, quod manibus laboravi.* Hoc verum esse, colligitur ex eo, quod Christus l. 6. c. 65. S. Birgit. dixit: *In spiritali vita qui perfectus esse desiderat, debet primò esse Martha laborando in honore meo corporaliter--*

Si autem laborare non scit, aut non potest; tunc non verecundetur, nec sit ei onerosum mendicare, immo magis gaudiosum, quia tunc imitatur me filium Dei, qui, ut homo ditaretur, me ipsum pauperem feci. Christus ipse olim alicui Eremitæ non scienti legere suavit ad honorem sanguinei sudoris sui laborare. Insuper B. V. M. legitur Fratres Cistercienses devotè in agro laborantes visitasse, sudoremque eorum & abstersisse, & in vase vitreo tamquam rem pretiosam collegisse; pro quo mercedem iisdem esset suo tempore redditura.

CAPITULUM XVII.

*Gratitudo ad Deum & ad homines benefactores requiritur, ut Regulares mendicantes possint in communitate stabiliter persistere. Item mensa communitas: at nocet familiaritas
Etc.*

I. **I**nter alia adhortamenta, quæ Fratribus suis in universum mundum missis iuculcavit S. P. N. *Franciscus* c. 3. vitæ, unum hoc erat: *in beneficiis grati estote.* Ad quod movebatur; quia secundum vetus adagium, *Gratia gratiam parit.* *Sey danckbar umb die alte Gaben/wan du begehrest newe zu haben.* Nam, juxta Senecam, si benefactor gratitudinem pro beneficio recipiat, quasi pensionem primam de eo accipit; unde illud se non amisisse, sed bene elocasse arbitratur: fitque proinde promptior ad ulteriora exhibenda. Hujus veritatem in exemplo animadvertit
S. Chry-

S. Chrysof. in Genes. Nam Eva, inquit, quia pro nato filio grata fuit, & beneficium agnovit, affecta est & aliud. Talis enim est Dominus noster, quando in primis gratitudinem declaramus, & benefactorem agnoscimus, largiùs sua dona nobis erogat. E contra

II. *Ingratitudo* concitat justam Dei & benefactorum aversionem contra ingratos tales Religiosos; ut proinde, cessante benignitatis venâ, non valeant in communitate subsistere, coganturque miserè & sordidè, ad sibi quisque privatim providendum, huc illucque irreligiosè delabi, angi, & distrahi. Hunc malum ingratitude affectum agnovit *S. August.* c. 18. Solil. dicens: *Recolam ad mentem meam omnia bona, Domine, quae fecisti mihi à juventute mea, in omni vita mea.* Scio namque, quòd ingratitude tibi multum displiceat, quae est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & urens omne bonum, obstruens fontem misericordiae tuae super hominem; quia & mala jam mortua oriuntur, & viva jam opera moriuntur. h. i. Et *S. Bern.* ingratitude sic describit, quòd sit inimica anima, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluentem a gratia. Et *Sanctus Ambrosius*: Si accipientes divina munera, taciti & immemores fuerimus, tamquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur. Iterum *Sanctus Bernardus* in cap. jejunii: *Gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit.* Nec modò nil augetur ingrato, sed & quod accipit,

accipit, in perniciem ei vertitur. Hinc talis ingratus frustra sperat ulteriora beneficia à priorè benefactore: prout exprimitur Sap. 6. 19. *Ingratus sicut tanquam hybernalis glacies tabescet, & dissipet tanquam aqua super vacua.* h. i. *Minima donis permagna reputa; & eris dignus majora accipere.* S. Bonav. in Alphab.

III. Meritò ingratitude vacua repellitur à Deo & ab hominibus. Nostræ quidem naturæ hoc ita congenitum experimur, ut beneficium nos optimè locasse arbitremur, si regratianti conferamus; at amisisse doleamus, si ingrato conferamus. Terra si aliquot annis fructus in copia Domino reddiderit, nisi ab eo in quasi gratiarum actionem, vel ferias, vel stercorationem recipiat, post manet infecunda, nil amplius profert. Sic & c. Beneficium hoc autem à Religiosis dum agnoscitur, prima ejus pensio redditur, ait *Seneca*. Et ipsi pro beneficiis & eleemosynis multipliciter regratiani possunt & debent. scil. I. humiliter regratiando tanquam pro munere è manu divina accepta. II. oculis, capite, manibus, verbis gratiam præstitam significando, & benefactori reverentiam faciendo. III. beneficium æstimando, prædicando, etiam coram aliis, dum ratio dicit (non tamen unquam adulando) IV. non malè impendendo, aut inutiliter absumendo. V. Modica etiam grato animo acceptando. VI. non dantibus non indignando. VII. objurgantibus benignè respondendo. VIII. pro benefactoribus diligenter orando.

missas offerendo, communicando, opera pietatis exercendo. IX. Obsequia oris, manus, pedis, affectus, pro tempore rependendo. Quod si ingrati fuerint, experientur veritatem horum germanicorum proverb. 1. Für Wohlthat wenig Dank / macht Unwillen und bösen Gestand. 2. Wer gesparig saet die Dankbarkeit / wird gesparig schneyden Freygebigkeit. 3. Die Gutthat schilt / der's mit vergilt. 4. Undankbar Gemuht das Gut übel hüt. Porro haec gratitudo se etiam extendere debet ad animas benefactorum defunctorum; Item ad cognatos aut amicos eorum, si quomodolibet iis vel obsequi, vel gratificari possimus. Item ad eorum monumenta, picturas, memorias, acta, scripta &c.

IV. Ne nimium praeter mentem, excrescat hic liber; paucis addendum, quod, ut possit melius servari in Monasterio *vita communitas*, *mensa communitas* debeat ab omnibus, quantum fieri potest, servari. Nam mensae privatae non tantum exhauriunt sensim communitatem, sed etiam enervant charitatem, nutriunt partialitatem, noxiam familiaritatem, ad illicita laxant linguam, irritant gulam, fovent intemperantiam, inducunt prodigalitatem, opprimunt sobrietatem, minuunt religiosam parcitatem, & nimium subinde offendunt sanctam paupertatem. Item excitant in aliis invidiam, indignationem, murmuracionem, susurracionem, detraccionem, animorumq; disunionem, & contra invicem aversionem. Item furantur tempus, nimis occupant fra-

tres, exhauriunt crumenas, sovent partiales bursas, illicitas sæcularium familiaritates, confabulationes; faciunt negligi divina officia, frangi silentium, meditationem consuetamque orationem omitti &c. Summatim ut perstringam, quod experientia docuit; ad omne malum tales privatae mensæ, & privata conventicula sensim parant viam. Proinde Superiores locales sollicitam curam gerant (ut deinde minùs curæ habeant; & ut omnia ordinariùs, absque murmure, & absque confusione succedant) ut mensa communis frequentetur ab omnibus: & hæc mensæ communitas est occultum quasi negativum vlucrum; quod dictum qui observabit, probabit. Deinde epulationes conabitur Superior evitare: nimia enim inordinationes inde oriuntur in Conventibus pauperum. Prov. 21. 17. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vitium, & pingua, non ditabitur. h. i.*

V. Ad communitatem vitæ stabilis secundum, & conservandum, vita privata omnino instar pestilentia est fugienda. De quo S. Leander in Regula c. 17, sic ait ad Sororem suam S. Florentinam: *Fuge, queso, privatam vitam--- privatam enim vitam de usu gentiliū traxit Ecclesia; quos dum non quiverunt Apostoli ad normam suæ vitæ adducere, Ecclesia venienti ex gentibus permisit vivere, propriisque rebus uti. Ceterum qui sub Apostolis crediderunt ex Hebreis, eandem normam, quam nunc tenent Monasteria, servaverunt. Quare, quod legitur in Act. Apostol. & verum esse, quod dico, probabis: Multitudinis cre-*
dentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam

quam eorum, quæ possidebat, suam esse dicebat. sed
erant ipsis omnia communia &c. ibidem c. 18. Pe-
culiare, quod in Cœnobio pro magno habetur cri-
mine, tu pro grandi vita contagione. Iude crimē est
qui cum haberet cū Apost. quidquid erat illis com-
mune, non fuit contextus communionis sufficientia.
Quidquid man^u tua attigerit, in commune repona.
h. 1. Et in Regula S. Clare c. 22. Abbatissæ dicitur:
Communitatē servet in omnibus, præcipuè autem in
Ecclesia, dormitorio, refectorio, infirmaria, & vesti-
mentis. Et c. 24. Si comunē vitā ducere non potue-
rit, aut noluerit, per visitatorem à suo regimine ab-
solvatur. h. 1.

VI. Ad conservandum regularem communita-
tem, eique benefactorum animos stabiliter conci-
liandos, valde noxia & impeditiva est nimia ad
sæculares familiaritas sive in sive extra clau-
strum. Nam, dum vident humanas Religiosorum
imperfectiones & fragilitates, eos in animo vi-
lipendunt, sibi similes ut alios homines arbitran-
tur (quos alioquin supra homines tamquam ter-
renos Angelos reverebantur.) & ita reverentiam
& devotionem ad ipsos amittunt; & ad elargien-
dum eleemosynas minus bene affecti redduntur.
Consultum quoque est, ut, quam offerunt sæcula-
res eleemosynam, semper communitatis bono ce-
dat, quamvis singuli parum inde participent, ut ita
major charitas, & stabilior unitas inter fratres fir-
metur (nisi tamen aliud faciendum pro re nata Su-
periori videbitur). Si quis autē charitatem Christi
non habet, non agitur spiritu ejus, nec regitur vo-
ce ejus; sed spectat ad illos, de quibus dicit S. Judas
in sua Epist. *Hi sunt in epulis suis macule: con-*

vivantes sine tempore, semetipsos pascentes,
nubes sine aqua, quae à ventis circumferuntur,
arbores autumnales infructuosa, bis mortua, era-
dicata, fructus feri maris, despumantes suae con-
fusiones, sidera errantia. &c.

VII. Tandem, ut ad finem properem, notum
fit vobis (ut loquar cum Reverendissimo P. N.
Generali Antonio à Sapientibus Augustano in præ-
fat. ad Constit. Pias) quod semper magnis votis
Deum precatus sum, dilectissimi Patres, nodum
in eo magistratu (dicam, Provinciae ministerio)
Positus, in quem vestra omnium benevolentia me
constituit; sed etiam cum expers essem potestatis, ut
Religio hæc, & sodalitium nostrum ad Majorum
vivendi formam aliquando restitueretur; id ho-
die ita futurum confido, ut me summo gaudio, &
spiritali quadam voluptate profusum sentiam, non
ea tantum de causa, quod Beatiss. Patrem nostrum
D. Papam id cupere, quod Amplissimum D. Car-
dinalem ac bonos omnes id desiderare; quod S. Tri-
dentinam Synodum id jubere videam; sed potis-
simum, quod in præclaris animis vestris primævam
Religionis pietatem sponte reviviscere, & sucres-
cere inspiciam. --- Revocate vobis ad memoriam,
quales in Dei Ecclesia fuerint Majores nostri --- ha-
bent res mundanae suas vicissitudines: si vos ad corda
vestrorum Patrum conversi fueritis, eorum aurea
saecula vobis redibunt --- tantum abusus, qui vel
hominum malitiâ, vel temporum vitio subintradu-
eti inveniuntur, tollendi à vobis sunt. --- sic vestras
partes apud Deum implebitis: sic mundo, qui per
sanctitatis exempla doceri cupit, satisfacietis: &
Seraphicus Pater vester vos suos filios agnoscat; ac

ei, à quo sibi sunt redemptionis nostræ signa carne impressa, continuis precibus commendabit. Ego vero pro vestra salute & dignitate omnibus viribus enitar, ne quid studii, aut fidei in me desiderandum relinquam. h. i.

De cetero, qui plura media ad communitatem conservandam scire desiderat, consulat bonos Oeconomos, & Ascetas, S. Bernardum in l. de considerat. item ejus Epistolam Silvestrem, S. Bonav. de sex alis Seraphim, de profectu Religios. Dicitam salutis, aliosque DD. vitæ communis zelatores. NB. Semper autem caveat interrogare aut consulere eos, qui communitatis sunt aut osores, aut neglectores, aut impugnatores. Sufficiat tibi lector mi Confrater pro nunc partus hic quamquam aliquantulum immaturus, attamen in tuæ memoriæ sinu, & bonæ voluntatis affectu, ac operis effectu amplius maturandus. In quem finem te commendo verbo gratiæ Domini Jesu, ut apud te non inane sit, nec vacuum redeat. Ille autem, si servaveris Regulam tuam, & S. Constitutiones Ordinis tui, erit tibi Sponsus, Frater, amicus, hereditas, pretium, Deus, & Dominus (ut ait S. Leander in proœmio Regulæ) Sponsus, quem diligas; Frater, quem teneas; amicus, de quo non dubites; hereditas, quam ambias; pretium, quod agnoscas; Deus, à quo regaris; Dominus, quem metuas & honores. h. i. Tu autem

O Domine Jesu,

Inclina tibi Deus modicum id, quod me dignatus es esse; atque de mea misera vita suscipe, obsecro, residuum annorum meorum. Pro his verò, quos

vivendo perdidit, quia perditè vixi, cor contritum,
 & humiliatum Deus non despicias. S. Bern. serm.
 20. in Cant.

Votum ad Fratres,

Quos amulor Dei amulatione in Christo Iesu.

DEUS, qui est cum Patre, & Spiritu Sancto,
 Creator omnium quæ facta sunt, qui digna-
 tus est descendere in viscera virginea, & unire
 Divinitatem suam humanitati, non tamen sepa-
 rans se à Divinitate; qui fixit sic charitatem suam
 ad hominem, ut magis voluerit mori, & omnia
 horribilia mortis instrumenta sufferre, quam
 charitatem ad hominem fixam relinquere; ipse
 vos propter suam passionem conjungat in unum
 Cor, qui hæctenus fueratis dissociati. *† Benedi-
 ctio hæc revelata S. Birgitta à B. V. M. l. 6. revelat.
 n. 34.*

Si quis igitur in hujus Libelli lectione profece-
 rit, hanc labori meo vel studio vicem impendat;
 ut apud Salvatorem meum, quem diligo; apud
 remuneratorem meum, quem expecto; apud ju-
 dicem meum, quem timeo, pro peccatis meis in-
 tercedat. *B. Alfredus Abbas Rievallensis in fine
 Regule inclusarum. h. i. Magnam mihi Dominus
 gratiam fecerit, si vel unus inde profecerit, qui
 Deum collaudet. S. Teresa in prologo Castelli
 prima.*

Ad Fratres Tyrones

Ordin. Minor. S. Francisci Conventual.

QUoniam pro vestra potissimum institutione, & profectu, priores V. Libros ex probatis Authoribus collegi, & compilavi; ut tanquam aviculæ needum cantui silvestri assuetæ assuesceretis ab initio vitæ communis intemeratæ regularitati; hinc quoque ut rudimenta perfectionis in una compactura congregata habeatis, aliqua vobis Alphabeta, & religiosæ vitæ documenta (quæ legere nec proveciores tædebit) hic subnectam. De vobis ait Reverendissimus P. N. Generalis *Philippus Gesualdus* in Decretis editis 1601. Bonon. de recept. Novit. in Præfat. quod *omnis nostri Seraphici Ordinis spes in eo posita esse videatur, si ii in posterum Novitii recipiantur, qui ad communis vitæ observantiam, ceteraque regularia instituta educati, ad præscriptum Decretorum S. Concil. Trid. & Clem. VIII. de communis vitæ observantia editarum instructi, collapsam Ordinis nostri disciplinam restituere, & novella velut plantaria exsuscitare possint. h. i.*

Alphabetum Majus

Religiosorum à D. Bonaventura compilatum.

A Ma nesciri, & pro nihilo reputari: hoc tibi salubrius est, & utilius, quàm laudari ab hominibus.

O o 5

Bene

Benevolus sis omnibus bonis & malis, & nulli onerosus.

Custodi cor tuum ab evagatione, os tuum ab otiosa locutione, & ceteros sensus sub rigore disciplinae.

Dilige solitudinem & silentium; & invenies quietem magnam, & conscientiam bonam. Ubi enim multitudo, ibi frequens strepitus, & magna distractio cordis.

Elige paupertatem, & simplicitatem: paucis sis contentus, & non facile murmurabis.

Fuge homines, & saeculi rumores: quia non potes esse satis Deo & hominibus, aeternis, & transitoriis.

Gratias age Deo semper corde & ore, qualitercumque tibi succedit in gravamine & dolore. Nam Deus omnia providè dispensat in mundo, vero & recto iudicio ab aeterno.

Humilia te in omnibus, & sub omnibus, & invenies gratiam ab hominibus: eris quoque Deo acceptus, & hominibus dilectus, & diabolus fugiet citius, propter humilitatis virtutem tibi valde contrariam.

In omni opere bono habeas intentionem primam ad placendum Deo, qui inspector est cordis, & diligit justos & puros.

Karissimos reputa amicos & patronos, qui te premunt & vituperant: si enim rectè sapis & consideras, lucrum inde acquires; nam pro sunt tibi in bono, qui obsunt in malo.

Labore & dolore, cum gemitu & fletu acquirunt regnum

regnum Dei : deliciis & honoribus perditur paradifus.

Magnum donum Dei est , pauperem esse in hoc mundo propter Christum , & infimum tenere locum. Magna superbia , altum petere gradum. Ad alta semper diabolus suadet , honores ambire , fugere despectum , ut cadat ascensor ejus retrorsum , cum ad breve dominatus fuerit pauperum. Minima dona per magna reputa , & eris dignus majora accipere.

Neminem spernas , nulli noceas , afflicto & egeno condoleas , & numquam te extollas.

Omne tempus cum Deo utiliter expendas : nihil enim pretiosius tempore , in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem , benignum , & affabilem sine dissolutione exhibeas. Omnia bona ad laudem Dei referas ; & sine consilio ac deliberatione nihil facias.

Primò semper quære in opere tuo , an Deo placeat vel displiceat : nec timore nec amore age contra conscientiam tuam. In dubiis ad scripturam , & obedientiam Prælati tui recurre ; nec tibi ipsi nimis confide. Priùs discere tacere quam loqui ; potiùsque velis instrui quam docere. Tutius est enim velle latere quam apparere.

Quæcumque ad te non pertinent , de his non iudices , nec te intromittas , ut semper pacem habeas. Qui communia sectatur , & singularia vitat , magis diligetur , & citiùs ad bonum finem perveniet. Qui tempestivè facit quod debet , lætior postea erit.

Rever-

Revertere ad interiora cordis tui, ne vagari incipias per varia desideria mundi consilio diaboli. Nocent mala audita, tentant pulchra visa, turbant illata vituperia. Recede ergo ab omni iracundo, indocto, dissoluto; & mane in silentio cum Deo.

Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, providus in verbis, honestus in moribus, maturus in consilio, fortis in adversis, mitis in opprobriis, & humilis in prosperis, gratus in beneficiis, hilaris in despectibus, patiens in doloribus; discretus in omnibus agendis.

Time Deum offendere in minimis negligentis, & defectibus tuis. Noli presumere in bonis, nec desperare in adversis. Timor Dei facit recedere à peccato, & sollicitat in bono opere, ut bonum bene fiat. Totum te Deo committe, & quod est tibi grave, fiet citò portabile. Pax tua in patientia multa. Levis est omnis tribulatio pro vita æterna.

Vende Deo omnia commoda tua, & dabit tibi solatia meliora, gratiã adveniente in una hora. Nemo ditior, nemo liberior eo, qui se ad omnia Deo dat, & Christum amando emit, qui mundum cruce redemit.

Christus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, lectio tua. Ipse sit desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, & merces tua. Si aliud queris quàm purè Deum, damnũ patieris; laborabis, & requiem non invenies.

Vinnos & psalmos canere Monachorum est, & clericorum, quibus congaudent & Angelorum Chori

Chori laudantes Deum jugiter in regno calorum. Servire carni mors, cibus vermium, nidus dæmonum, vita peccatorum, fomes morborum, corruptio corporum, inquinatio morum, perditio bonorum, acquisitio multorum malorum & dolorum. Servire Deo beatitudo animæ, sanitas corporis, prudentia spiritûs, vita cælestis. Dulces Hymnos Deo cantat, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. Initium & finis omnis boni Religiosi, Deum corde amare, ore laudare, & fratrem suum exemplo ædificare.

Zachæ Frater descende de altitudine sæcularis scientiæ: veni & disce in schola Dei viam humilitatis, & mansuetudinis, & patientiæ; & per quam possis, Christo docente, ad æternæ beatitudinis gloriam securè pervenire, Amen.

Conclusio S. Bonaventurae.

Scribe Monache Alphabetum istud in corde tuo, quasi in libro vitæ: & per singulos dies chartulam tuam inspice, & bonos mores assuesce. Pauca sunt verba, sed magna sunt mysteria, & perfectorum opera. Ornant exteriùs, & quietant interiùs. A contemptu, & sui ipsius abnegatione incipit vita boni religiosi Monachi; & proficit usque ad contemplationem Dei. *h. i.*

NB. Ut Alphabetum hoc, & documenta omnia, quæ ex SS. Patrum monumentis in hoc libro digesta

digesta

digesta sunt, firmiter hæreant cordi tuo; memento frequenter Frater mi cum S. P. N. Francisco, quod sit *multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio*. Non mirum, quod *paucorum sit electio, quia & paucorum dilectio*. De quo P. Barry in Anno sancto 17. Octob. Raymundo Lullo pientissimo Dei amatori revelatum legitur, quod inter mille non centum esset reperire, qui aliquantulum Dei timorem, vel mediocrem erga Christum haberent amorem: insuper, quod inter hos centum, nonaginta illum timeant ob periculum pœne infernalis: præterea, quod inter hos nonaginta non duo illum amant ex spe celestis gaudii: tandem, quod inter mille vix unus sit, qui ipsum amet propter ipsius bonitatem, & divinas perfectiones. Hæc revelatione accepta, incepit tam amare flere, ut consolationem non admitteret. Et quis non fleret, si tam angusta porta, tam arcta via ad cælum, tanta paucitas amatorum Dei, & electorum? Fleas èt tu: hæcque verba frequenter ruminas, ut te in continuo Dei timore & amore contineas, atque exactâ observantia Regulæ, & Constitutionum tui Ordinis; ad quam ex voto solenni obligaris. †.



Parvum Alphabetum

Ejusdem S. Bonaventurae pro incipientibus.

A Ma paupertatem, sis vilibus contentus,
 Bonis semper actibus jugiter intentus.
 Cave multiloquium, studeas silere,
 Deum omni tempore præ oculis habere.
 Esuriam amplectere, gulam refrenando,
 Fratrumque convivia segniter sectando.
 Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare,
 Humilibus consentiens, majores honorare,
 In omnibus obediens, Prælatoque parebis,
 Karitatem insuper cum omnibus tenebis.
 Lumbos stringe lubricos Domini timore,
 Mundans cordis oculus casto cum pudore.
 Nihil servans proprium, nudum sequens Chri-
 stum,
 Onus leve sufferens, mundum vincens istum,
 Passum Christum recole corde gemebundo.
 Quærens Dei gloriam, nil aliud in mundo.
 Resistendo vitiis, orando ferventer,
 Sacramentum sumere debes reverenter.
 Tu motum mentis comprime, iram mitigando,
 Vanaque colloquia sollicitè vitando.
 Christo frui cupiens, cellam frequentabis:
 Jesum super omnia sic dulciter amabis.
 Zelo Dei fervidus charitatis igne,
 Et in te peccantibus ignosce benignè.
 NB. Non nomen, sed factum, sed adjectivum fa-
 ciet te beatum.

Alpha-

Alphabetum aureum,
Illuminato Doctōri ex Ordine Predi-
catorum,

JOANNI TAULERO
primitus præscriptum.

Agredienda tibi imprimis est vita bona, pura,
 spiritualis, non quidem leviter & pueriliter, sed
 strenuè, & animo virili.

Bonum facito, & malum declinato, idque sedu-
 lò & diligenter.

Congruum ac temperatum in omnibus medium
 servato.

Disce & intùs & exteriùs modestiam & humili-
 tatem præ te ferre.

Extirpa funditus, & abnega propter Deum pro-
 priam voluntatem tuam, ut possis unicus in
 Deo manere, & Deus in te.

Fortiter ac seriò continuè in Deo persevera.

Gaudens simpliciter ac studiosè obedito, & ad-
 omnia quæ Dei sunt, sine murmure volunta-
 rium te præbeto.

Haud quaquam retrò vel ad sæculum, vel ad na-
 turam, vel creaturas, & actus earum respicias.

Intus in corde divina ac spiritalia meditari ac ru-
 minare, tuamque veterem vitam lacrymis ab-
 luere, & deplangere consuesce.

Constanter & audacter Diaboli, mundi, & car-
 nis

nis tentationibus resiste.

Læto ac forti animo per temporalia ad æterna contende, ac penetrato.

Maneat semper in te dilectio Dei & proximi.

Nullius omnino bona, qualiacumque ea sint, concupiscas.

Ordinariè omnia in meliorem, non pejorem partem trahas.

Pœnitentiam sive pœnam peccati, undecumque ea tibi obveniat, sive à Deo, sive à creaturis, pro peccatis tuis libenti animo suscipias.

Qualescumque te umquam offenderunt, seu læserunt cogitando, loquendo, operando, eis omnem injuriam ex animo remittas.

Retine tibi omni cum diligentia corporis & animæ castitatem.

Serva in omnibus mansuetudinem, & ex omnibus stude melior fieri.

Tene fidem, custodi veritatem erga quosvis, absque dolo, simulatione, & fraude: & exerce te in operibus misericordiæ cum corporalibus, tum spiritualibus, prout potueris.

Vide diligenter, ne vel in edendo & bibendo, vel qualibet alia re modum & mensuram excedas.

Xhristi vitam atque doctrinam semper animo revolve, eamque pro viribus imitâre, & juxta eam vitam tuam institue.

Yntemeratam Virginem Matrem devotis pulsato precibus, ut auxilio tibi sit in perdiscenda hac institutione mea.

Zelosus consueste voluntatem & sensualitatem tuam

Pp

tuam

tuam sub disciplina continere, ac cohibere, ut
 pacificè consentiant in omnia, quæ Deuseve-
 nire tibi permiserit, aut egerit tecum. *Amen.*✠



Aurea Monita

S. TERESIÆ à JESU,

*Monialibus suis tradita, omnibusque Regulari-
 bus perutilia.*

1. Terra quantumvis ferax, nisi colatur, tribu-
 los & lappas proferet. Sic & in ingenio no-
 stro se res habet.
2. De omnibus rebus spiritualibus, uti & de Reli-
 giosis, Sacerdotibus, & Eremitis non nisi quàm
 optimè loquaris.
3. Ubi multi congregati sunt, ibi semper quàm
 minimum loquere.
4. In omnibus, quæ ages & tractabis, mode-
 stiam proferto.
5. Numquam multum verbis contendito, maxi-
 mè in rebus quæ parvi momenti sunt.
6. Unumquemque moderata quadam cum hila-
 ritate alloquere.
7. Numquam rem aliquam derideto.
8. Indiscretè numquam aliquem reprehendes,
 sed cum humilitate, & apud temetipsam eru-
 bescendo.

9. Illius, quocum agis, indoli, genio, complexionique te attempera: cum læto lætêris, cum tristi contristêris: talem demum singulis te præbe, ut singulos lucrari possis.
10. Nihil unquam loquaris, quod non antè apud te ipsam (*teipsum*) sedulò perpenderit, Dominoque studiosè commendaveris; ut nihil dicas, quod ei displiceat.
11. Numquam te excusato, nisi in rebus evidentissimis.
12. Nihil unquam de te ipsa (*ipso*) loquere, quod in laudem tendat, uti de scientia, virtutibus, parentela tua, nisi aliquid hinc bonum securum speres; atque etiam tum id non nisi cum humilitate fiat, ac cum quadam consideratione, dona illa à Dei manu venire.
13. Ea, de quibus loqueris, numquam plus nimio extollito, sed sententiam tuam magna cum moderatione proponito.
14. In omnibus colloquiis & sermocinationibus semper aliquid de rebus spiritualibus verbum intermisce; & ita inania verba, & detractio- nem impediens.
15. Numquam aliquid certò affirmabis, nisi id antè probè sciveris.
16. De omni re temerè sententiam tuam dicere non præsumes, nisi aut interrogêris, aut charitas id exigat.
17. Alium de rebus spiritalibus loquentem, cum humilitate & tamquam discipulus audies; & quod ille bonum dicit, tibi dictum putato.
18. Superiori & Confessario tuo omnes tentatio-

- nes , imperfectiones , & repugnantias tuas patefacias , quò ad illas superandas tibi ille consilium & remedium suggerat.
19. Sine causa cellâ non aberis , nec egrediêris: eâ autem egrediens , à Domino gratiam pete , ad eum non offendendum.
20. Non nisi horis solitis & statutis edito & bibito ; ac tum quoque Domino singulares gratias agas.
21. Sic omnia tua agito , tamquam si Majestatem ipsius coràm intuereris ; hac namque ratione anima permultum lucratur.
22. De alio malum aliquod non audies nec dicies , nisi de te ipsa (*ipso*) & dum in eo gaudebis , signum est te benè proficere.
23. Quidquid ages , ad Deum diriges , hoc ei offerendo ; eumque rogabis , ut ad honorem & gloriam illius id cedat.
24. Cùm lætaberis , in immoderatum risum effundi noli ; sed humilem , modestam , & affabilem , & ædificativam lætitiâ præferes.
25. Omnium te ancillam (*servum*) temper esse cogitabis ; & in omnibus Christum Dominum intueberis : & ita fiet , ut omnibus & venerationem , & honorem delatura sis.
26. Quæcumque tibi injungentur , quàm promptissimè & exactissimè exequi satage , tamquam si Redemptor noster Christus id tibi in Superioris seu Prælati tui persona injungeret.
27. In omni opere , quacumque hora conscientiam tuam examinabis ; & visis imperfectionibus tuis , operam da , ut eas cum Dei gratia emendes.

mendes: hacq; via ad perfectionem pervenies.

28. Alienas imperfectiones numquam tecum recogitabis, sed virtutes; uti & defectus proprios.
29. Intensum semper desiderium habebis, in omni re & occasione aliquid pro Christi nomine patiendi.
30. Quotidie te sæpius per diem Deo offerito; idque magno cum fervore, & ardenti ad Deum desiderio.
31. Quod manè meditata (*meditatus*) fueris, hoc tota die cogitatione versabis quàm diligentissimè; magnum quippe inde fructum consequeris.
32. Affectus & pios motus, quos tibi Dominus immittet, cautè apud te servabis: & pia, quæ in oratione tibi dabit desideria, opere exequi studebis.
33. Singularitatem, quantum fieri potest, maxime devita; hæc namque communitati permultum nocet.
34. Religionis tuæ Regulã & statuta sæpe legitos eaque diligenter ac seriò observare satagito.
35. In omnibus rebus creatis Dei providentiam & sapientiam considerabis; eumque in omnibus & singulis laudabis.
36. Ab omnibus rebus cor tuum abstrahe, ac Deum quære; eumque sic invenies.
37. Exteriùs numquam aliquam devotionem præferes, quæ interiùs non sit: sed devotionem, quam habueris, abscondere adnitêris.
38. Interiorem devotionem, nisi ratio valde neces-

- saria sit, non ostendas: nam, *secretum meum mihi*, ajebant SS. Franciscus, & Bernardus.
39. Numquam conquêreris de cibo, sive is bene, sive non bene accommodatus sit; Jesu Christi Salvatoris fel & acetum interim in mentem revoca.
40. In mensa neminem alloquaris; neque oculos ad aliquam aliam (*alium*) aspiciendum attollas.
41. Sed considerabis mensam cœlestem, ejusque cibum, qui est Deus Opt. Max. nec non invitatos, qui sunt Angeli. Ad illam mensam oculos sustolle, ad ei accumbendum anhelans.
42. Coram Superiore tuo (in quo Christum Dominum intueri debes) nihil umquam nisi quod necessarium est, idque magna cum veneratione loquere.
43. Nihil umquam facies clam, quod coram omnibus & unoquoque facere non auderes.
44. Numquam facies comparisonem inter hunc & illum; hoc namque odiosum est.
45. Si quando in aliquo reprehenderis; cum interiore & exteriori humilitate reprehensionē accepta, & ora pro eo, qui te reprehendit.
46. Si quando Superior unus aliquid præcipit, noli dicere, alium illi contrarium præcipere; sed cogita, ambos bonam intentionem & sanctum finem habere, & ei in eo quod jubet, obsequere.
47. De iis quæ ad te non spectant, curiosè non loquaris, nec inquiras.
48. Vitam præteritam præ oculis habe, ut ipsam deplora-

deploras; nec non præsentem temporem: item quantum tibi desit, ut hinc ad cælum tendas; ut sic perpetuò in timore agas: & erit hæc tibi multorum bonorum occasio.

49. Quod domestici tibi dicunt, hoc semper facere stude, dummodo obedientia non adverteatur; eisque cum humilitate, & verborum suavitate responde.
50. In cibo aut vestitu nihil tibi singulare petas, nisi summa necessitas requirat.
51. Numquam te capiat oblivio te humiliandi, & usque ad mortem in omnibus mortificandi.
52. Identidem cor tuum ad Dominum per amoris actus sustolle: hi namque animam incendunt, & ad teneritudinem provocant.
53. Sic & omnium reliquarum virtutum actus exercere contende.
54. Patri æterno omnia tua, cum Filii ejus Unigeniti Jesu Christi meritis conjuncta & unita offerre studebis.
55. Erga omnes mitis esto, & clemens, in te ipsam aspera & dura, (*in te ipsum asper & durus.*)
56. In Sanctorum Festivitatibus, virtutes ipsorum recole; Deumque roga, ut illas etiam tibi largiri diguetur.
57. Quotidie vesperi ante somnum conscientiam tuam studiosè examinabis.
58. Eo die, quo ad sacram communionem accedes, in oratione tua matutina recogitabis, te quamvis miserabilem & nequam Deum tuum

recepturam (*recepturum*) vesperi verò, te eum recepisse.

59. Cùm Superior aliis fueris, neminem ex subditis, in iracundia reprehendes, sed cùm hæc præterierit; actum demum reprehensio tua proderit ei, cui fit.
60. Perfectioni ac devotioni unicè te applica, & omnia quæ agis, cum ea agito.
61. In timore Domini quàm maximè te exerce; hic namque animam ad humilitatem & compunctionem concitat.
62. Vide, quàm facili negotio homines mutantur, & quàm parum ipsis fidendum sit: quapropter Deo, qui immutabilis est, arctissimè te unire studebis.
63. Animæ tuæ negotia pertracta cum Confessorio tuo, qui spiritalis vir & doctus sit: huic tui illa aperies, ejusque opinionem in omnibus sequeris.
64. Quoties accedis ad sacram communionem, aliquod à Domino donum posces, idque per summam illam misericordiam, qua ad miseram animam tuam venire dignatus est.
65. Esto, multos Sanctorum habeas Patronos & Advocatos; attamen *S. Josephum* nominatim in Patronum tibi seligere non omittes, eò quòd is multa à Deo impetrare valeat.
66. Tristitiæ & turbationis tempore, consueta bona opera tam orationis quàm pœnitentiarum nequaquam omittas: etenim non ob aliam causam te inquietare satagit inimicus, quàm ut hæc ipsa omittas: immo è contra plura & in-
rensius

sensibus facito quàm solebas; & videbis, quàn-
citò te Dominus misericorditer visitaturus sit.

67. Tentationes & imperfectiones tuas noli pan-
dere imperfectioribus & minùs in virtute pro-
vectis (ne ipsis & tibi noceas) sed, si tibi con-
sultum velis, cum perfectissimis de iisdem lo-
quere.

68. Recordare te non nisi unicam habere animam,
& non nisi semel mori posse: insuper, non nisi
unam te vitam habere, eamque brevem, ac
tuam propriam: denique non nisi unicam esse
gloriam, & hanc æternam. Hæc si perpende-
ris, multa facere desines, quæ alioqui factura
esses.

69. Votum omne ac desiderium tuum sit, ut
Deum tandem videas: timor, ne eum fortasse
amittas: tristitia, quòd eo non potiaris: lætitia
verò solùm in eo, quòd ad illum te potest per-
ducere. Hæc si impleveris, in pace vives. *Deo
gratias. Amen. †.*



ORATIO & OBLATIO

Dicenda à Fratribus Minoribus S. Francisci Conventualibus Provincia Colonienfis , in Choro manè ante Meditationem.

GRatias tibi Deus, gratias tibi Vera & Una Trinitas, Una & Summa Deitas, Sancta & Una Unitas. O Sanctissima Trinitas, summum æternumque bonum, sine quo nihil boni esse potest, per omnipotentiam tuam confirma mihi memoriam, per sapientiam tuam illumina mihi intellectum, per ineffabilem bonitatem tuam reforma & perfice in me voluntatem; ut magnitudinem tuam ritè agnoscere, dignè laudare, ac purè amare perpetuò possim. Tuæ sanctissimæ voluntati me offero & consecro ut verum & perpetuum tuæ divinæ Majestatis mancipium, illius nutui obediendo; & si per fragilitatem humanam, aut per instigationem inimici contrarium contingeret, nunc revocando, cassando, annihilando. In manus tuas Domine commendo quàm possum maximè consilia, cogitationes, verba, ac opera mea, spiritum, animam, & corpus meum, sensus, sermones, & actus meos, membra, vitam, ac mortem meam. Præterea fidissimæ providentiæ tuæ, quæ cuncta ubique moderatur atque disponit, commendo Seraphicum Ordinem nostrum, specialiter Provinciam hanc Colonientem cum Conventu hoc N. Superiores Majores, Minores, ac Confratres ejus, ut nos augmentare, &

in Spiritu S. regere, omnibusque necessaria vitæ ad fideliter tibi serviendum concedere dignetur. Similiter commendo Parentes, Consanguineos, Benefactores, ac alios, ex quorum eleëmofynis vivimus, qui aut vivunt aut mortui sunt; ut illis & nobis gratia tua opituletur, & ita à nobis ac aliis perfectè glorificeris Deus Trinus & unus. Amen.

ORATIO

*Dicenda ab iisdem pro communibus necessitatibus
Conventûs, post Completorium, vel post Mis-
se Sacrificium &c.*

OMnipotens sempiterne Deus, ædificator & Custos Hierusalem civitatis supernæ, sub cuius nutu vitæ nostræ momenta decurrunt: qui nos famulos tuos in hoc sacro loco ad tibi fideliter serviendum, die ac nocte in lege tua meditandum, ad tui divini honoris augmentum, nostrum profectum, proximorum exemplum misericorditer coadunasti. Qui etiam licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis. Ædifica, benedic, defende, & muro custodiae tuæ circumda locum istum cum omnibus tibi famulantibus in eo, ut sit in eo semper domicilium stabilitatis, sanctitatis, & pacis. Hostes visibiles & invisibiles ab eo remove, carnalia desideria repelle, regularis disciplinae augmentum concede, necessariarum rerum sufficientiam indulge. A domo tua, Domine, spirituales nequitiæ

tix

tiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas
 tempestatum. Careat omni discordia, liberetur
 à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non
 aura corrumpens: Discedant omnes insidiæ laten-
 tis inimici. Nec permittas Domine Domū tuā, aut
 famulos tuos scandalis vel criminibus confundi,
 aut in cēdio gravari, quos è mundi periculoso pe-
 lago extractos ad braviū supernæ vocationis ac-
 cendis: sed si quid est, quod aut saluti inhabitan-
 tium in ea invidet aut quieti, per invocationem tui
 sancti Nominis effugiat atque discedat, ut tuā di-
 vinā providentiā in omnibus providè sit directa,
 & ab omni impugnatione defensa per Christum
 Dominum nostrum, Amen ✠.

ORATIO

F. Minoris Conventualis pro Ordinis sui propectu.

I. JESU pie respice hanc Religionem,
 Per tuamque protege bene†dictionem,
Francisci me Regulæ fac esse sequacem,
 Et in bono strenuè semper efficacem.

II. *Sancta Virgo Virginum*, mihi miserere,
 Et à Patre luminum lumen obtinere
 Digneris, & gratiam ipsi serviendi,
 Æternamque gloriam ritè promerendi.

III. *Francisce* me dirige in viam salutis,
 Et heredem effice tuæ me virtutis:
 Tua per vestigia deduc me clientem,
 Et divinā gratiā perface plus mentem.

IV. 0

IV. O *Antoni* inclyte compar *Patavine*,
 Tantillum tu gratiæ obtine divinæ,
 In incepto Ordine ut perseverare
 Possim, atque gloriæ coronam sperare.

V. Sancti Dei inclyti, qui perseverastis,
Francisci Seraphici Regulam servastis,
 Vestro patrocinio velitis juvare
 Me, ut in vestigio vestro possim stare.

VI. Sancte *Cardinalium Lux*, qui & Protector
 Es *Conventualium Ordinis* corrector:
 Te, ô *Sancte Carole*, colo, *Borromae*,
 Gubernator animæ, rogo, tu sis meæ.

VII. Voluptatum sæculi tu es aspernator,
 Crucifixi speculi pius contemplator:
 Populum docueras *Tridentinos mores*,
Mariam posueras ante templi fores.

VIII. Sub *Maria pallio* me confugientem,
 Sub hoc patrocinio fac esse ferventem;
 Ut hunc nostrum *Ordinem* velit gubernare,
 Ora, & imaginem ejus reformare. Amen. †.

Renovatio votorum seu Professio- nis,

*Facienda à Fr. Min. Conv. post SS. Communionem,
 vel Missæ Sacrificium. &c.*

GRatias tibi ago benignissime *Jesu* pro commu-
 nione Corporis tui sacri & pretiosi sanguinis;
 ac insuper pro gratia illa singulari, quâ me vilif-
 simum peccatorem de sæculo nequam eduxisti, &
 in hoc sacro Ordine S. P. mei *Francisci* ad solen-

nem

nem professionem admisisti. Doleo ex toto corde, quòd huic gratiæ non satis responderim, sed tanto beneficio ingratus fuerim, tepidè & negligenter hucusque vivendo. Detestor omnes transgressiones & negligentias contra votorum meorum reverentiam in hoc statu commissas. Ignoscere dignâre Domine Deus meus suppliciter veniam petenti, & emendationem cum tua gratia spondenti; & auxiliare mihi, ut tandem ex nunc cum hac tua gratia incipiam; quod equidem ex toto corde desidero, & firmiter propono.

Et ad contestationem hujus seriæ voluntatis meæ, voveo nunc iterum, prout in S. Professione vovi; & quamvis nec tunc, nec unquam me tuo servitio mancipassem, nunc me libenter mancipo, & ut mansuetum animal tuo jugo humiliter subijcio; ac quanta possum devotione vota mea renovo, promittoque tibi Domine Deus meus, B. Mariæ semper Virgini, B. Francisco, & omnibus Sanctis obedientiam, paupertatem, & castitatem secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis nostri, usque ad mortem.

Verumtamen quia ad hæc implenda me nimis tepidum & infirmum agnosco; rogo te misericordissime Jesu, ut, qui mihi dedisti vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facilitatem, meque ita dirigas, ut deinceps non amplius mihi sed tibi vivam; Regulam, Constitutiones, omnesque Ordinis observantias, & quidquid animæ perfectionem promovere potest, summo studio amplectar, ad laudem & gloriam sanctissimi Nominis tui, qui es super omnia Deus benedictus

in sæcula, Amen. † Benedicat mihi Dominus,
 & custodiat me : ostendat Dominus faciem suam
 mihi, & misereatur mei: Convertat vultum suum
 ad me, & det mihi pacem. Dominus † benedicat
 me.



Adm. Rdo Exim. P. ANTONIO WISSINGH
 Ord. Min. S. Francisci Conventual. S. T. D.
 Ministro Provinciali.

ANTONIUS WISSINGH.

Anagramma

Ah! sinu unguis unitos.

EXIMIE eCCe pater, tibi paVCVLa Vota saCrant Vr;
 InspICE, sInt genlo hæC Vota benigna tVo.
 antoni VVissingh fLos es saCrI ordInIs eXstans:
 perpetVos annos VIVere DignVs aDes.
 slegbVrgense soLVM genVIt te sIDere faVstò:
 æthera te eX Voto ContrIbVÈre sVo.
 EX LibrIs, sCrIptIsqVe tVIs tV, Vt Cerno, CorVs Cas
 VItâ, DoCtriNâ, reLLIgone Deo
 VItVte est gaVDens patre tē proVInCIa tota:
 appLaVDens stVDIo tVrba sVperna tVo.
 VngIs aMore tVos Vnltos CorDe, sInVqVe
 protegIs, eX sVperIs LærtIa orta tibi est.
 InD neo-Libro tibi fertVr splItVs VnVs,
 CorqVe VnVM, fratres qVI pletate præls.
 LVCE tVa eCCLESiæ reserans es CoMplta VItæ.
 Vota VetVsta sonans sæCVLa VIVE pater.
 nos CoMpensabit franClS CVs ab aXe Labores,
 qVos sVs CepIstI; LVX tVa CLara patet.
 etqVIA IVnXistI VestI bona gerMIna saCrI
 ordInIs, InsignIs LaVrlger esto Virens.
 gratVLor eX VotIs hæC prospera CVncta, preCorqVo.
 peCtore CVM VnltIs fratrlbVs astra petes.
 sCILICet In terrIs VbI Longos LVXerIs annos,
 manCtVs franClS CVs præMIa In aXe feret.

AVeB

608 *Media pro vita communi.*

¶ Vels preCor antoni VIVas VVIssInge perennâ
De sVperIs Meritò sIt tVa penna fLVens.
sIntqVe MInVta DVo Venæ tIbI grata poetæ;
¶ VI tVVs æternVs sIt sine fine CLiens.
¶ VI DILeXistI ferVenter stIgmata Christi,
VItæ annI , ANTONI , sInt tIbI ab aXe boni
pOrro VbI LongæVô terrIs eLVXerIs æVô.
AVgVror , astra petes , gaVDIa Lætâ Metes.



*Ita accinnit A. C. Redelius
Clericus Mechlin. S. C. M.
Poeta laureatus.*

F I N I S.



INDEX.